

TRACTATUS DE LEGIBUS.

D. Thom. a Quæst. 90. ad 109.

Consideratis Actibus humanis, & eorum principiis interioribus; nunc considerandum est de eorum principiis exterioribus (Q. 90. in proem.) Principium exterius ad malum inclinans est Diabolus, de quo plura dixit Auctor i. p. q. 111. art. 2. & 3. & q. 114. & nos quedam cum ipso ad q. 80. hujus partis. Principium autem exterius movens ad bonum est Deus, qui & nos instruit per Legem, & juvat per gratiam; unde dicemus 1. De Lege, deinde de Gratia. Circa Legem oportet 1. considerare de ipsa Lege in communi, 2. De partibus ejus. Unde sit

DISSERTATIO I.

DE LEGIBUS IN COMMUNI.

D. Thom. Q. 90. 91. & 92.

Circa Legem in communi tria occurrunt consideranda: 1. De essentia ejus. 2. De effectibus ejus. 3. De differentia Legum.

ARTICULUS I.

Utrum Lex sit essentialiter aliquid rationis?

LEX juxta Auctorem hic art. 1. dicitur a *Ligando*, quia obligat ad agendum. Juxta Isid. l. 2. Orig. cap. 10. dicitur a *Legendo*, quia scribi solet, & legi. Juxta Aug. q. 20. in Levit. dicitur ab *Eligendo*, quia ostendit, quid sit eligendum. Sed quidquid sit de Etymologia, quantum ad significationem Lex variè accipitur. 1. Pro instinctu & inclinatione ad aliquid faciendum, quo sensu concupiscentia vocatur ab Apost. Rom. 7. *Lex membrorum*. 2. Sumitur pro conditione, ut in Contractibus dicitur ea lege ut hoc vel illud fiat. 3. Sumitur pro quacunque regula, vel præcepto præscribente aliquid sive bonum, sive malum; quo sensu præcepta artis, & Tyrannorum vocantur Leges. 4. Sumitur pro opere, per Legem præscripto, ut Joann. 7. *Nemo ex vobis facit legem*. 5. Sumitur pro Libro, Disciplina, vel Religione, Leges continent: sicut dicimus, Legem gratiæ, Legem novam, Legem veterem. Tandem Lex sumitur proprie pro regula præscribente communitati, quod rectum est.

Potest autem Lex proprie accepta considerari tripliciter, 1. Secundum quod est in Legislatore, ut regulante. 2. Secundum quod est in subjecto, ut regulato. 3. Secundum quod est in signo exteriori, puta verbo externo, vel scriptura; quo sensu dicimus Leges esse claras, vel obscuras, indigere interpretatione, hanc, vel illum sensum facere. De Lege, proprie accepta secundum primam considerationem, hic agitur. Et

Definitur communitè cum Auctore (Hic q. 90. art. 1. o.) *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata*. Veritas hujus definitionis patebit ex hoc & tribus sequentibus articulis. Interim breviter explicatur: Dicitur 1. *Ordinatio rationis*, scilicet practica: per quod intelligitur actus imperii, seu potius ejus terminus, seu dictamen ab eo productum, quo superior præscribit aliquid faciendum, vel omittendum. Intelligitur etiam ordinatio efficax, non quidem respectu operis præscripti, cum Leges continuo violentur, sed respectu obligationis, quæ afficit subditos; per quod distinguitur a consilio. Item intelligitur ordinatio firma, stabilis, & perpetua, hoc sensu quod non desinat per mortem Legislatoris, nec feratur ad solum præsentem, sed etiam futuros; licet possit desinere vel per revocationem, vel per mutationem materie, vel per cessationem finis adæquati; sicut Lex vetus cessavit ut umbra, adventiente veritate luce.

Dicitur 2. *Ad bonum commune*; quia bonum commune est finis Legis, ut dicam, & per hoc excluduntur præcepta Tyrannorum, & alia, quæ herent in proprium & privatum commodum. Dicitur 3. *Ab eo, qui curam Communitatis habet*; quia Lex respicit totam Communitatem, intellige perfectam, quæ est multitudo hominum sub gubernatione Præsidis jurisdictionem politicam habentis, ut explicatis dicemus. Dicitur 4. *Promulgata*; quia non potest dirigi, nec obligare, nisi per promul-

gationem innotescat: utrum promulgatio sit de essentia Legis? Dicemus modò. Hæc, inquam, explicationes probabuntur, & amplius elucubrantur in seq.

Suppono hic necessitatem Legum, quæ ex ipsa hominis natura petitur: cum enim natura humana sit ex se defectibilis, & a vero fine deficere possit, necesse est, ut per Leges ad suum finem dirigatur. Vide art. 4. seq. His notatis & suppositis: quantum ad questionem propositam in titulo, tres sunt sententiæ. Quidam censent Legem essentialiter esse actum voluntatis, alii actum intellectus, alii utriusque. Pro cuius resolutione

Dico: Lex essentialiter est aliquid rationis, præsupponens tamen, saltem in Legibus positivis, actum voluntatis. Est communior cum Auctore. (*Ibid. art. 1. o.*)

Prob. 1. pars 1. (*Ibid. in a. s. c.*) Ad Legem pertinet præcipere & imperare; sed imperium est essentialiter rationis, ut probavimus Dissert. 3. de Act. hum. art. 7. §. 2. require: ergo. Prob. 2. (*Ibid. o.*) Lex est quedam regula & mensura actuum, secundum quam aliquid inducitur ad agendum, vel ab agendo retrahitur; atqui regula & mensura actuum humanorum est ratio: ergo. Prob. Min. Ratio est primum principium actuum humanorum, ut dictum est superius; & patet, quia rationis est ordinare in finem, qui est primum principium in agendis; atqui in unoquoque genere id, quod est principium, est regula & mensura illius generis: sic unitas, quæ est principium numeri, est mensura omnium numerorum: sic motus primi Coeli, qui est primus in genere motuum, est regula omnium motuum, ergo. Hinc faciunt varii modi loquendi Scripturarum, quæ Leges divinas exprimentur per verba significantia opus intellectus. Prov. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux*. Ps. 118. *Præceptum Domini lucidum illuminat oculos*. Ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. *Ibid.* Leges divinx vocantur passim *Judicia, Sermones, Eloquia*, quæ omnia pertinent ad intellectum.

Prob. 2. pars. Lex pertinet ad rationem practicam, & consistit in actu imperii, seu saltem in ejus termino & dictamine; atqui imperium, quamvis sit elicitive ab intellectu, supponit tamen actum voluntatis, scilicet electionem, a quo habet vim & efficaciam movendi ad exercitum: ergo. Confer, quæ dixi loco cit. de Act. hum.

Dixi: *Saltem in Legibus positivis*: quia quantum ad Legem æternam & naturalem, quæ jubet intrinsecè bona & necessaria ad finem consequendum, & prohibet intrinsecè mala necessario fugienda pro fine consequendo, quidam non improbabiliter volunt sitam esse in solo actu intellectus practici, independentè ab omni actu voluntatis; quia, inquiunt, ad Legem sufficit, quod sit directiva actionum humanarum, & quod habeat vim obligandi: lex autem æterna & naturalis hæc duo habet independentè ab omni actu voluntatis. De 1. non est dubium; de 2. etiam patet; quia, hoc ipso quo ratio divine dicitur & intimat Deum esse colendum, parentes honorandos, &c. furtum, mendacium, &c. esse mala & ideò fugienda, nascitur in homine obligatio ad illa suo tempore facienda, & ista fugienda, etiam si per impossibile non accederet voluntas ad hæc obligans; quia ex intrinsecè, seu natura sua, sunt vel faciendi vel fugien-

gienda, eo ipso quo per dictamen rationis intimatur ut talia. Hoc autem dictamen in mente divina est Lex æterna; in mente humana est Lex naturalis.

Dices: Lex in Scripturis sæpè vocatur voluntas Dei, Ps. 142. 1. Mach. 1. Matth. 7. & alibi. Aug. l. 4. de Civit. c. 6. *Arbitria Principum*, inquit, *pro Legibus erant*. Similiter in Jure: ergo. R. Hæc verificari in nostra sententia; quia, licet Lex non sit essentialiter voluntatis, necessario tamen illam præsuppositivè includit, saltem Lex positiva.

Inst. Legis est movere; atqui movere est proprium voluntatis: ergo. R. D. Maj. Legis est movere dirigendo, & regulando, C. Et hoc est proprium intellectus. Simpliciter applicando, N.

ARTICULUS II.

Utrum sit de ratione Legis, quod feratur propter bonum commune?

POTest dupliciter intelligi titulus: 1. An sit de ratione Legis, quod feratur pro communitate. 2. Quod feratur propter bonum commune tanquam propter finem.

Dico 1. De ratione Legis est, quod feratur pro communitate. (*Ibid. art. 3. ad 3.*) Hæc Conclusio fundatur in sensu communi hominum, & vulgari acceptione Legis. Omnes enim apprehendunt Legem respicere communitatem, & per hoc distingui a præcepto, quod unum, vel alterum privatum respicit. Sic nullus Legem æstimat mandatum, quod Rex dirigeret ad unum, vel alterum civem, bene tamen, si dirigat ad aliquam Provinciam, aut Civitatem. Unde præceptum, quod Deus fecit ad Abraham de immolando Filio Genes. 21. a nemine reputatur Lex, quia solum Abraham dirigebatur; & e contra mandatum, quod fecit Adæ de non edendo ligno vetito Genes. 2. reputatur Lex; quia non solum Adam obligabat, sed omne genus humanum, nec solum præsentem, sed etiam futuros.

Confirmatur inductione: Lex naturalis omnes homines respicit, Lex vetus totam Gentem Judaicam, Lex nova totum genus humanum: similiter omnes Leges humane tam civiles, quam Ecclesiasticæ ad communitates diriguntur. Communitas hic intelligitur perfecta: perfecta autem communitas censetur multitudo hominum inter se unitorum; in qua qui præest, habet jurisdictionem politicam, eam scilicet, quæ se extendit etiam ad penas gravioris, ut mortis, exilii, mutilationis, carceris, &c. quales sunt Regna, Provincie, Civitates, Christi Ecclesia, Ordines Religiosorum, Universitates, &c. non familia particularis, in qua patet, aut herus non habet similem jurisdictionem, sed domesticam tantum, seu œconomicam, longè minore.

Si dicas, Leges, quandoque ferri pro hominibus alicujus status, seu officii tantum. R. 1. & hoc constituitur communitatem; quia is, qui illis præest, habet jurisdictionem politicam. 2. Censetur Lex lata pro tota communitate, quia conducit ad bonam gubernationem totius communitatis; congruit enim toti communitati, ut homines certi status, certe conditionis, habeant certas leges, quibus in officio continentur. 3. Quia obligat, non solum hujus status, seu officii artifices, sed omnes, qui illi aggregari voluerint, & sic respicit totam Communitatem.

Dico 2. De ratione Legis est, quod sit propter bonum commune tanquam propter finem. (*Ibid. art. 2. o.*)

Est communis cum Auctore, (*Ibid.*) & sequitur ex precedenti: lex enim, ut dictum est, respicit totam Communitatem, quam dirigit in finem bonum, & honestum: ergo ille finis debet esse bonum totius istius Communitatis, & non privatum alicujus partis: inordinatum enim foret, quod bonum totius ordinaretur ad bonum partis, & non e contra, cum pars sit propter totum, & non e contra.

Confirmatur 1. Finis debet correspondere suo principio; atqui Lex est regula communis procedens a publica auctoritate: ergo finis ejus debet esse bonum publicum, & commune. Confirmatur 2. In hoc differt Rex a Tyranno, quod Rex bonum commune, Tyrannus bonum privatum spectat: ergo Regum Leges differunt a Tyrannorum Legibus (quæ non sunt veræ Leges), quod ille ferantur propter bonum commune, istæ propter bonum privatum. Hinc 3. Reg. 12. Deus graviter irascitur adversus Achab, & Jezabelem, quod per vim absterlerunt vineam Naboth: et Concil. Tolet. 8. Can. 10. statuit, quod *Reges nulla vi, aut factione... contractus a subditis exigant... neque sint prospectantes proprii jura commodi, sed consulentes Patriæ, atque Gentis*. Ex quibus observat Sylvius, eos turpiter hallucinari, qui existimant Reges in bona subditorum sic habere verum, & perfectum dominium, ut possint illa in privatum commodum convertere: cujus contrarium manifestè patet in ipsis Aegyptiis Gen. 47. in quorum bona Pharaon non habebat dominium, antequam Joseph ea emeret.

Si dicas, Reges vocati Dominos: ergo subditi sunt servi;

Dominus autem disponit de bonis servorum in propriam utilitatem, R. N. Conseq. Nam Reges vocantur Domini, non Dominatu servili, sed politico, & civili; ideoque non imperant subditis ut mancipiis, sed ut liberis.

Dices insuper: Sunt multe Leges, quæ non bonum commune, sed privatum aliquorum particularium videntur respicere, ut Leges in favorem pupillorum, & militum, Lex de tuenda vita, de eleemosyna indigenti facienda, de tributis solvendis Regi, &c. R. hæc omnes designatas Leges, & alias similes mediæ, & ultimæ referri ad bonum commune. Exigit enim bonum commune, quod, qui propter defectum ætatis sibi satis prospicere non possunt, per Leges, sicut tuti a fratribus, & dolis; quod milites sint parati, & expediti ad defensionem reipublicæ; quod unusquisque teneatur vitæ suæ prospicere; quod pauperes præ inopia non pereant, dum divites superabundant; quod regibus justa tributa subditi pendant, ad conservandam regiam dignitatem, & defendendam Rempublicam.

Conjectaria.

EX dictis colliges, 1. Regem posse ferre legem toti regno utilem, licet sit novicia alicui Provincie, seu Civitati; quia quamvis Provincie, & Civitates gaudeant suis particularibus legibus, cum tamen sint partes & membra totius regni, debent cum privato detrimento concurrere ad bonum totius. E contra propter oppositam rationem, si plura regna subdantur eidem regi, rex non potest facere legem in bonum unius cum detrimento alterius; quia non sunt sibi subordinata, nec unum pars alterius.

Colliges 2. Quamcumque habeat intentionem Legislator, si Lex, quam condit, ex natura operis tendat in bonum commune, valet, & obligat subditos: sic, si Princeps in odium alicujus ferret legem, quæ tamen ex se ordinaretur in bonum commune, peccat quidem ratione prævæ intentionis, sed Lex subsistit, & obligat: sicut, si iudex ex odio ferret sententiam, alioquin justam.

Colliges 3. De ratione Legis esse, quod sit stabilis, & perpetua, quia fertur pro tota communitate: communitas autem non desinit, sed censetur perpetua. Confirmatur inductione: Lex æterna, & naturalis est perpetua: Lex positiva vetus fuit stabilis, & perpetua, quandiu ejus finis non fuit evacuatus: Lex nova debet durare usque ad finem mundi: ergo tales esse debent Leges humane. Et hinc Doctores distinguunt in hoc præceptum a Lege, quod præceptum expiret morte præcipientis, per *Mandatum C. Mandati*; Lex autem non desinat morte Legislatoris. Ceterum intellige Legis perpetuitatem, non positivam, quasi sit ipsi essentialis, & nullo modo possit desinere; sed negativam, in hoc sitam, quod non expiret morte Legislatoris, & quod non obliget solum præsentem, sed etiam futuros: cum quo stat, quod possit desinere, vel revocationem ab habente auctoritatem, vel per contrariam consuetudinem, vel per mutationem materie, vel per cessationem finis adæquati, ut cessavit Lex vetus, adventiente Christo, cujus erat figura.

ARTICULUS III.

Utrum Promulgatio sit de ratione Legis?

Dico 1. Ut Lex actu obliget, necessaria est alicujus ejus promulgatio. (*Ibid. art. 4. o.*) Prob. Lex est regula actuum humanorum; atqui actus humani non possunt regulari per illam, nisi innotescat, innotescit autem per promulgationem: ergo. (*Ibid.*) Dixi: *Necessaria est alicujus promulgatio*; quia diversa requiritur, pro diversitate Legum. Lex æterna, & naturalis promulgatur unicuique per rationis dictamen. Lex divina positiva quandoque promulgatur per internam revelationem, ut in Prophetis; quandoque per externam propositionem sine solemnitate, sicut eam Christus promulgavit suis Apostolis, aliquando cum solemnitate; ut Lex vetus in monte Sinai, Lex nova in die Pentecostes. Lex humana autem debet semper promulgari cum aliqua solemnitate, & sic usus obtinuit: potestque dari ratio hujus discriminis, quod Deus sit absolute, & omni modo supremus Dominus, sicque possit, quo voluerit modo, suam Legem intimare; non sic autem homo est supremus dominus. Aliunde, cum gerat duplicem personam, privatam, & publicam, ita debet proponere Legem, ut significet se eam proponere ut personam publicam, & non ut privatam, quod fit adhibita aliqua solemnitate. Si dicas, ad revocationem Legis non requiritur promulgationem: ergo neque ad ejus constitutionem R. N. Conseq. Quia plus requiritur ad rem constituendam, quam ad destruendam; malum enim, qualis est destructio, est ex quocumque defectu. Unde, quando deficit voluntas superioris obligantis, a quo tota obligatio Legis pendet, quovis modo deficit, lex cessat obligare. De quo infra.

Sed subtilior movetur questio, utrum promulgatio ita sit necessaria Legi, ut sit de eius essentia; an tantum conditio necessaria requisita, ut actu obliget? Circa quam varie sentiunt Theologi, etiam Thomistae, sed videtur quasi questio de nomine. Pro cuius resolutione, & intelligentia observandum, Legem posse considerari dupliciter, in actu primo, prout est apta ad dirigendum, & obligandum, & in actu secundo, prout de facto dirigit, & obligat.

Dico 2. Probabiliter videtur, promulgationem non esse de essentia Legis, sed esse conditionem dumtaxat insupplebiliter requisitam, ut actu obliget. Prob. 1. ex D. Thom. de cuius mente litigator. Juxta S. Doct. hic art. 4. o. promulgatio se habet ad Legem, sicut applicatio regulæ, & mensuræ ad regulatum, & mensuratum; atqui applicatio regulæ, & mensuræ ad regulatum, & mensuratum non est de essentia regulæ, & mensuræ, sed supponit illam constitutam: ergo.

Prob. 2. Ad essentiam Legis sufficit, quod habeat aptitudinem ad dirigendum, & obligandum; essentia enim rerum per se non est, sed aptitudinem, non per actum secundum definitur, ut docent Philosophi; atqui Lex ante promulgationem habet aptitudinem ad dirigendum, & obligandum, non enim ex promulgatione habet hanc aptitudinem, sed actualem directionem, & obligationem tanquam a conditione: ergo. Confirmatur: Lex est regula, qua inducitur ad agendum, vel retrahitur ab agendo cum aliqua obligatione; quod promulgatio non est regula, neque pars regulæ, neque ab illa tanquam a causa procedit vis obligandi, seu obligatio actualis, quippe quæ debet esse a superiore ut a causa, sed tantum tanquam a conditione; sicut calefactio non est ab approximatione tanquam a causa; sed ad ignem, licet pendeat ab approximatione tanquam a conditione.

Ceteram, diu dicimus promulgationem esse conditionem necessariam, ut Lex in actu secundo obliget, intelligimus conditionem intrinsecam, & insupplebilem, non qualis est, v. gr. approximatō agens ad passum, quæ divinitus suppleri potest; sed qualis est propositio objecti, ut ametur.

Dices S. Thom. hic art. 4. o. dicit, quod ad hoc, ut Lex virtutem obligandi obtineat, debeat promulgari; & ibidem ponit promulgationem in definitione Legis: ergo. R. ad 1. promulgationem requirit, ut Lex obtineat virtutem obligandi in actu secundo, non in actu primo. Ad 2. promulgatio ponitur in definitione Legis, non ut pars eius essentialis, sed ut conditio intrinseca, & insupplebilis, ut obliget actu, sicut, v. gr. obscenitas ponitur in definitione fidei.

Inst. Gratianus c. In istis d. 4. dicit: Leges instituntur, cum promulgantur: ergo. R. D. Ant. Leges instituntur complete, & quoad actum secundum, cum promulgantur, C. instituntur essentialiter, & quoad actum primum, N.

Petes, utrum Lex sufficienter promulgata obliget omnes, etiam illam invincibiliter ignorantes? R. probabiliter affirmative: quia 1. Lex in promulgatione non dirigitur ad solos presentes, sed etiam ad absentes: ergo eos etiam comprehendit. 2. Quia, si privatus fide dignus denunciaret absentem Legem sufficienter promulgatam, ille tenebitur Legem observare, & peccabit illam transgrediendo; atqui hæc obligatio non oritur ex illo privato denunciante: ergo ex Lege promulgata: ergo ante denuntiationem obligabat.

Attamen omnes concedunt, ignorantes invincibiliter excusari a culpa, & poena, transgrediendo legem: unde quidam distinguunt; & dicunt non esse obligationem perfectam, & in actu secundo, sed imperfectam, & in actu primo, in quantum etiam invincibiliter ignorantes comprehenduntur sub lege, licet hic, & nunc in eius transgressione excusentur ratione ignorantie invincibilis. Ex quo tamen sequitur, quod, si esset lex non solum prohibens, sed etiam irritans aliquem actum, actus etiam in ignorante invincibiliter esset invalidus, ut matrimonium clandestinum in iis locis, in quibus est sufficienter promulgatum Tridentinum.

ARTICULUS IV.

Quam possint ferre Leges?

Dico 1. Potestas legislativa competit communitati, vel illi, qui curam communitatis gerit. (Ibid. art. 3. o.) Prob. 1. Ex Isidoro L. 5. Etymol. c. 10., & refertur C. Lex, Dist. 4. ubi dicit: Lex est constitutio populi, secundum quam majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt. (Ibid. in arg. s. c.)

Prob. 1. Ratione. (Ibid. o.) Illius est condere Legem, cuius est prospicere bono communi; quia, ut dicitur est, Leges feruntur propter bonum commune: atqui est communitatis, vel illius, qui curam communitatis habet, prospicere bono communi; sicut enim bonum particulare est huius proportiona-

tus agenti particulari, in bonum commune est finis proportionatus communitati, vel eius vices gerenti: ergo. Confirmatur. (Ibid. ad 1.) Lex habet vim imperandi, & coercendi; atqui nemo privatus habet vim imperandi multitudini, & eam coercendi, sed sola ipsa multitudo, vel ejus Rector, ergo.

Dices: Superioris est imperare, & coercere; atqui communitas non est sibi superior: ergo. R. D. Min. Communitas, sub eodem respectu considerata, non est sibi superior, C. Sub diverso respectu, N. Potest itaque communitas considerari collectivè per modum unius corporis moralis, & sic considerata est superior sibi consideratæ distributivè in singulis membris. Item potest considerari, vel ut gerit vices Dei, à quo omnis potestas legislativa descendit, juxta illud Proverb. Per me Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt; vel ut est gubernabilis in ordine ad bonum commune: primo modo considerata est superior, & legislativa; secundo modo considerata est inferior, & Legis susceptiva.

Quod ut clarius percipiatur, observandum est, hominem inter animalia nasci maxime destitutum pluribus tum corporis, eum animæ necessariis, pro quibus inagret aliorum consortio, & adiutorio, consequenter cum ipsa natura nasci animal sociale: societas autem, quam natura, naturalive ratio dicit ipsi necessariam, diu subsistere non potest, nisi aliqua publica potestate gubernetur, juxta illud Proverb. 11. Ubi non est gubernator, populus corrumpet. Ex quo sequitur, quod Deus, qui dedit talem naturam, simul ei dederit potestatem gubernativam & legislativam; qui enim dat formam, dat etiam ea, quæ hæc forma necessario exigit. Verum, quia hæc potestas gubernativa, & legislativa non potest facile exerceri à tota multitudine; difficile namque foret, omnes, & singulos simul convenire toties quoties providendum est de necessariis bono communi, & de Legibus ferendis; ideo solet multitudo transferre suum jus, seu potestatem gubernativam, vel in aliquo de populo ex omni conditione, & dicitur Democratia; vel in paucos optimates, & dicitur Aristocratia; vel in unum tantum, sive pro se solo, sive pro successoribus jure hereditario, & dicitur Monarchia. Ex quo sequitur, omnem potestatem esse a Deo, ut dicit Apost. Rom. 13. immediate quidem, & Jure nature in communitate, mediata autem tantum, & Jure humano in Regibus, & aliis Rectoribus: nisi Deus ipse immediate aliquibus hanc potestatem conferat, ut consulti Moysi in populum Israël, & Christus SS. Pontifici in totam Ecclesiam.

Hanc potestatem legislativam in Christianos, maxime justos non agnoscunt Lutherani & Calvinistæ, secuti in hoc Valdenses Wicleffum, & Joann. Hns, damnatos in Concil. Constant. Sess. 6. & Can. 16. Et quamvis Joannes Hus eam agnosceret in Principibus bonis, eam tamen denegabat malis, pariter ideo damnatus in eodem Concil. Sess. 8. contra quos

Dico 2. Datur in Ecclesia Christi potestas legislativa, eaque residet in SS. Pontifice, & Conciliis Generalibus congregatis, pro tota Ecclesia; in Legatis pro Provinciis suæ Legationis; in Episcopis pro suis Diocesis; in Conciliis nationalibus, seu Provincialibus pro Natione, vel Provincia; in Comitibus Generalibus Ordinum Religiosorum pro toto Ordine.

Prob. 1. pars 1. ex Concil. Constant. citato, ubi error contrarius fuit proscriptus. 2. Traditione. Ipsi Apostoli Act. 15. trulerunt Legem de abstinentia a suffocato, & ab immolatis simulachrorum. Et ibid. dicitur de Paulo: Perambulabat... præcipiens custodire præcepta Apostolorum. Ex quo intelligitur, hanc Legem Apostolorum non fuisse directivam tantum, ut fingunt Hæretici, sed etiam præceptivam. Ab Apostolis usque nunc Ecclesia per SS. Pontifices, & Concilia condidit Leges, quas venerati sunt omnes fideles. 3. Ratione: Ecclesia Christi est Respublica bene ordinata, non enim ei deficit in aliquo Christus; atqui in omni Republica bene ordinata debet esse pro circumstantiis, & necessitatibus emergentibus potestas legislativa; alias corrumpet, ut dicitur est: ergo.

Prob. 2. pars 1. ex Scriptura Matth. 16. Christus dicit Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Sicut ergo super fundamentum totum ædificium constructur, sic Petro tanquam capiti Ecclesie, ejusque ideo Successoribus (non enim desit Ecclesia cum Petro) totius Ecclesie gubernatio commissa est. Unde subdit Christus: Et tibi dabo claves Regni Cælorum. Nihil autem aliud per claves intelligi potest, quam spiritualis jurisdictio, & potestas gubernativa, ut per se patet, & habetur Isa. 22. & Apoc. 3. Et iterum immediate post: Quicumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quicumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Præcipuum autem vinculum regiminis est Lex. Porro solemnem hanc promissionem adimplevit Christus Joann. 21. dicens Petro: Pascere agnos meos, pascere oves meas. Hoc autem vocabulo Pascere intelligi potestatem imperandi, & regendi, constat ex illo ad Davidem 2. Reg. 5. Tu pasces populum meum Israël; & ex illo ad Regem Cyrum Isa. 44. Pastor meus es. Ob

Observandum insuper, Christum dixisse agnos & oves. Per Agnos intelliguntur simplices Fideles; per Oves intelliguntur Matres agnorum, scilicet Episcopi, & alii Prælati.

2. Traditione. Desinente sæculo 2. Victor Papa tulit Legem de tempore celebrandi Paschatis. Circa medium 3. sæculi Stephanus Papa Lege stata prohibuit baptizatos ab Hæreticis rebaptizari, & sic successivè ad hæc usque nostra tempora SS. Pontifices sanciverunt Leges, ab omnibus Fidelibus devotè susceptas.

Prob. 3. pars de Conciliis. 1. Concilia Generalia legitime congregata representant totam Ecclesiam; atqui, ut probatum est, viget in Ecclesia potestas legislativa. Adde, in his Papam per se, vel per suos Legatos presidere, cui modò asseruimus potestatem Legislativam. 2. Traditione: in omnibus Conciliis Generalibus legitime sancite sunt Leges, quas probavit & acceptavit pia fidelium praxis.

De Legatis: patet ex cap. Nemini de officio Legati. Pro Episcopis patet 1. ex Script. Act. 20. Posuit vos Spiritus S. regere Ecclesiam Dei. 2. Ex Jure cap. 2. de majoritate & obed. 3. Ex usu. Id autem possunt Episcopi, sine consensu, non tamen sine consilio Capituli. Quod si res agatur in præjudicium Cleri, requiritur etiam consensus Capituli; imò & populi, si agatur de festo instituendo; secus, si agatur de abolendo. De Conciliis Nationalibus & Provincialibus, nec non de Capitulis Generalibus Ordinum Religiosorum constat ex usu recepto & probato.

An verò Ordinationes Generalium extrà Capitulum Generale, & Provincialium etiam cum Capitulo Provinciali habeant vim legum, resolvendum est ex statutis & usibus ejusdemque Ordinis; quamvis enim Prælati exempti de Jure communi gaudeant jurisdictione Episcopali in suos subditos, hæc tamen jurisdictione potest restringi quoad aliquid per statuta particularia, & usus contrarios.

Quantum ad Capitulum sede vacante: licet habeat omnem jurisdictionem Episcopalem tam voluntariam, quam contentiosam, ordinariam scilicet, non delegatam; dubitatur tamen, utrum possit Leges Episcoporum defunctorum abrogare, & novas condere, quia in Jure cavetur, ne sede vacante aliquid innovetur.

Obj. 1. Vel Christus sufficienter providit suæ Ecclesie, vel non. Hoc secundum dici nequit. Si primum; ergo superfluum Leges humanæ. R. Christum sufficienter providisse suæ Ecclesie condendo quasdam Leges tunc necessarias, & relinquendo Ecclesie potestatem alias condendi, prout judicare bono communi expedire, pro circumstantiarum emergentium, personarum, & locorum exigentia. Unde neganda est Conseq.

Inferes: ergo Lex naturalis & Lex divina sunt insufficientes ad salutem consequendam. R. D. Illatum: Lex naturalis & Lex divina sunt insufficientes ad salutem absolutè & simpliciter consequendam. N. Posset enim quis absolutè loquendo salvari absque Lege humana. Sunt insufficientes ad salutem facilitis & securis consequendam, C. Leges enim humane juvant ad observationem Legis Naturalis & divine, v. gr. Lex jejunii ad observationem Legibus, & sic de aliis: vel determinant tempus obligationis Legis divine, ut Leges de confessione annua, & communicatione Paschali.

Obj. 2. cum hæreticis plura ex Scripturis Isa. 33. dicitur Dominus legifer noster. Deuteronomio 12. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito domino, nec addas quidquam, nec minuas. Matth. 7. In vanum me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum. Ibid. 11. Jugum meum suave est & onus meum leve. Galat. 5. Vos in libertatem vocati estis. 1. Cor. 7. Nolite fieri servi hominum. 1. Tim. 1. Lex justo non est posita, sed injustis. Verum & hæc sunt futilia. Unde breviter. R. ad 1. Dominus est legifer principalis; sunt autem alii minis principales tanquam ejus Vicarii. Ad 2. prohibetur aliquid addere, quod sit contrarium divinis mandatis, non verò quod juvat ad eorum observationem. Ad 3. Christus redarguit Phariseos, qui relicti Dei præceptis, scrupulosè inhærebant vanis quibusdam observationibus & usibus humanis. Ad 4. jugum Christi est suave & onus ejus leve, non exclusione Legum, sed gratia juvante earum observantia. Ad 5. vocati sumus in libertatem a servitute peccati & diaboli, & ab onere Legis Mosaicæ, non a superiorum legitimum Legibus, cum ipse Apost. Hebr. 13. dicat: Oblivite præpositis veteris. Ad 6. sensus est: nolite citra necessitatem vos vendere in mancipia, presertim infidelibus; vel nolite ita subijci hominibus, ut iis præ Christo servatis. Ad 7. Lex non est posita juxta quoad vim coactivam, quia illam sponte adimplet, bene tamen quoad vim directivam.

Dico 3. Potestas Legislativa non pendet a provitate vitæ; unde ea pollet omnis Princeps tam sæcularis, quam Ecclesiasticus, sive bonus sit, sive malus. Prob. Christus ipse Matth. 22. jussit tributum solvi Cæsari Principi Ethnico. Ibid. 23. Jubet obedire Scribis & Phariseis secundum Legem præcipientem. Theol. Billuart. Pars Secunda.

tibus, quamvis malis & improbis. Apost. ad Rom. 13. docet, Principes etiam Infideles esse Dei ministros, ipsisque parendum esse, non solum propter iram, sed propter conscientiam. Idem ad Tit. 3. & 1. Petr. 2. Unde jure damnamus sentientes propositiones in Conc. Constantensi. Prima, sess. 8. Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælati, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali: est 15. Wicleff altero, sess. 15. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus: est 12. Joannis Hus.

Ex his itaque 4. Articulis manifestè liquet, nos rectè definivisse Legem, quod sit Ordinatio rationis ad bonum commune, ad eo, qui curam communitatis habet, promulgata.

ARTICULUS V.

Quam sint effectus & actus Legis? D. Thom. Quæst. 92.

Dico 1. (Hic q. 92. art. 1. o.) Effectus Legis est facere homines bonos. 1. Quia Lex inducit ad virtutem propriam subditis, nempe ut bene subdantur & obediant superioribus suis; virtus autem facit bonum habitentem. 2. Quia opus, ad quod Lex inducit, est bonum, sive ex objecto, sive ex fine, sive ex circumstantiis, alioquin non foret justa, nec Lex consequenter.

Nota: Dam Auctor dicit hic o. Legem veram & propriam facere hominem bonum simpliciter, non est sensus, quod ipsum faciat bonum ex omni parte & non omni genere virtutum, hoc enim est proprium solius Legis Charitatis, seu collectionis omnium Legum; sed sensus est, quod ipsum faciat bonum secundum aliquam rationem boni honesti: sic, v. gr. Lex temperantiae facit bonum simpliciter, quia inducit ad actum temperantiae, qui est simpliciter bonus.

Dices: Non omnis, qui servat Legem, est bonus etiam in genere talis virtutis, quia potest servare Legem ex malo fine: ergo. R. N. Conseq. quia ad veritatem conclusionis nostre non est necesse, quod, qui servat Legem reverè bonus sit; sed sufficit, quod Lex tam ex se, quam ex intentione Legislatoris tendat ad hoc, quod sit bonus, quamvis per accidens, & ex ejus malitia iste effectus impediatur. Sic ergo Lex supernaturalis tendit ad hoc, ut homines fiant boni per virtutes supernaturales; Lex naturalis, ut sint boni virtutibus moralibus nature proportionatis; Lex civilis, ut fiant boni civis: Lex Ecclesiastica, ut fiant boni Christiani, saltem secundum actus exteriores.

Dico 2. Conventienter numerantur quatuor actus Legis, scilicet præcipere, prohibere, permittere, & punire. (Ibid. art. 2. o.) Nota: Hæc quatuor dicuntur actus Legis, non quod a Lege elicantur; non enim Lex est habitus, aut potentia: sed dicuntur actus Legis quasi integraliter, quia quodammodo Lex integratur ex istis quatuor, non quod cuilibet Legi in individuo conveniant; non enim quælibet Lex in individuo præcipit, prohibet, permittit, punit; sed Legi in communi, quia nulla est Lex, quæ vel non præcipit, aut non prohibet, aut non permittit, aut non punit.

Prob. Conclusio. (Ibid.) Lex instituitur ad dirigendum actus humanos; atqui ex actibus humanis quidam sunt boni ex genere, & respectu horum Lex habet præcipere, non quod omnes omnino actus boni præcipiat, sed quod possit præcipere. Quidam sunt ex genere mali, & respectu illorum habet prohibere. Quidam sunt indifferentes, seu parum boni, aut parum mali, & respectu illorum habet permittere: & quia officium Legis non solum est ordinare quid sit faciendum, aut vitandum, sed etiam efficaciter inducere, ut sibi obediant, hoc præstat per rationem poenæ, & quantum ad hoc ponitur Legis actus, punire.

Dices 1. Homo inducitur ad bonum, non solum per poenas, sed etiam per præmium: ergo præmiare est etiam actus Legis. R. N. Conseq. præmiare pertinet ad quemlibet: unde non exigit auctoritatem publicam; sed punire non pertinet nisi ad Ministrum Legis, cujus auctoritate poena inferitur. (Ibid. ad 3.)

Dices 2. Permissio est negatio actus, nempe præcepti, aut prohibitionis: ergo non est actus Legis. R. D. Ant. Permissio purè negativa est negatio actus, C. Positiva, N. Duplex est igitur permissio; altera, quæ est mera negatio præcepti, aut prohibitionis, ut dicitur in Antecedente; & hæc non est actus Legis, cum non dimanet a potestate publica, nec actus, qui dicitur permitti; hæbet a Lege, quod sit permissus: altera est, quæ fit per actum positivum, quo Lex statuit, ut id, quod est indifferens, aut erat antea prohibitum, fiat licitè v. gr. matrimonium in quinto grado consanguinitatis; vel vetat, aut impedit aliquid minus malum, ne pejus eveniat, & huiusmodi permissio est actus Legis.

Inst. Omnis Lex obligat; sed Lex permissiva non obligat: ergo. R. N. Min. Licet enim Lex permissiva non obliget

ad faciendum opus, quod permittit; obligat tamen, ne vel impediat, vel puniat.

Dices 3. Obligare est actus Legis; omnis enim Lex, ut jam dicebatur, obligat: ergo debuit numerari inter actus Legis. R. D. Ant. Obligare est actus Legis inseparabiliter consequens ad actus numeratos, C. Separabilis ab illis, N. & ideo non debuit distincte numerari. Ex quolibet enim actu Legis assignato sequitur obligatio; ex precepto, aut prohibitione sequitur obligatio opus faciendi, vel vitandi; ex permissione sequitur obligatio in aliquibus non impediendi; ex punitione

sequitur in iudice obligatio poenam infligendi, & in subdito illam sustinendi.

De Diversitate Legum.

S. Thom. q. 19. Leges quadruplicis generis recenset. Alia est æterna, alia naturalis, alia divina positiva; & hæc duplex, vetus & nova: alia humana, & hæc etiam duplex, Ecclesiastica & Civilis: sed quia, quæ tractat S. Doctor in hac questione, recurrent in sequentibus, dum de singulis Legibus agemus, ideo nunc omittimus.

DISSERTATIO II.

DE LEGE ÆTERNA ET NATURALI.

D. Thom. QQ. 93. & 94.

ARTICULUS I.

De Lege æterna.

§. I. An sit, & quid sit Lex æterna?

Dico 1. (Hic q. 91. art. 1. o.) Datur in Deo Lex æterna (Prob. Ibid.) Lex nihil est aliud, quam dictamen rationis practicæ in Principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam; atqui tale dictamen est ab æterno in Deo, tanquam in Principe gubernante totam Universi communitatem: ergo. Prob. Min. Tota Universi communitas divina Providentia regitur, ut constat ex 3. p. q. 22. art. 1. & 2. atqui Providentia circa singula supponit dictamen rationis practicæ circa universalia, & ex illo inferitur, sicut Conclusio ex principiis, ut modò dicam. Insupèr divina ratio nihil concipit in tempore, sed habet æternum conceptum, ut dicitur Prov. 8. ergo datur in Deo ab æterno dictamen, &c.

Dico 2. (Ibid. q. 93. art. 1. o.) Lex æterna nihil est aliud, quam ratio divinæ Sapientiæ, secundum quod est directiva actionum & motionum Creaturarum in ordine ad bonum commune totius Universi. Prob. (Ibid.) Sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ constituuntur per artem, ita in quolibet gubernante præexistit ratio ordinis eorum, quæ agenda sunt per eos, qui gubernationi subjiciuntur. Et sicut ratio rerum faciendarum per artem vocatur ars, vel exemplar rerum artificiarum, ita ratio gubernantis actus subditorum rationem Legis obtinet, servatis aliis, quæ supra diximus esse de Legis ratione; atqui Deus non solum est per suam potentiam Conditor universarum rerum, ad quas comparatur sicut artifex ad artificiatum, ut dicitur est 1. p. q. 14. art. 8. sed est etiam gubernator omnium actuum & motionum, quæ inveniuntur in creaturis, ut ibidem q. 103. art. 5. habitum est: ergo, sicut ratio divinæ Sapientiæ, in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis, vel exemplaris, vel idæ; ita ratio divinæ Sapientiæ, movens & dirigens omnia ad debitum finem, obtinet rationem Legis.

Itaque Lex æterna differt ab idea & a divina providentia. Ab idea; quia idea divina est exemplar rerum faciendarum, seu creandarum. Lex æterna ordo rerum gubernandarum, vel inferens eis necessitatem, ut in rebus naturalibus, vel inducens obligationem moralem, ut in rebus artificialibus. A providentia. 1. Quia, ut modò dicebam, Lex habet vim obligandi, non providentia. 2. Lex respicit bonum commune totius Universi, providentia bonum particulare cuiusque. 3. Se habet providentia ad Legem, sicut conclusio ad principium universale. Unde, sicut in nobis Lex tradit Regulas in generali, v. gr. esse jejundandum, esse audiendam Missam, &c. juxta quas Regulas prudentia dicit, hic & nunc esse agendum, ita in Deo Lex æterna tradit Regulas in generali pro gubernatione totius mundi; Providentia verò, quæ est pars prudentiæ, disponit in particulari juxta istas Leges de motibus creaturarum.

Ex his colliges, Legem æternam habere verè & propriè rationem Legis, saltem respectu creaturarum intellectualium: est enim ordinatio rationis in bonum commune ab eo, qui curam Communitatis habet. Solum potest esse difficultas de promulgatione, quia non videtur promulgata ab æterno. Sed in primis probavimus supra, promulgationem non esse de essentia Legis, servarique veram rationem Legis, sine promulgatione. 2. Dato requiri promulgationem ad rationem Legis, etiam hic habetur, (Hic q. 91. art. 1. ad 2.) non quidem ex parte creaturæ audientis, aut insipientis, sed ex parte Dei promulgantis, non tantum per Verbum æternum, sed maxime per librum

vitæ ab æterno scriptum. Unde, quamvis non fuerit ab æterno promulgatio perfecta & completa, fuit tamen sufficiens ad rationem Legis; quia ad Legem non requiritur promulgatio, quæ cognoscatur a creatura actu existente, sed quæ possit cognosci, cum creatura existet; ut patet in Legibus humanis, quæ promulgantur, non solum presentibus, sed etiam futuris. Si autem creatura rationalis fuisset ab æterno, cognovisset ab æterno Legem æternam per dictamen rationis, per quod nunc cognoscit, dum ad usum rationis pervenit. Dixi: Saltem respectu creaturarum intellectualium; quia respectu creaturarum irrationalium non videtur habere propriè & strictè rationem Legis, quia creaturæ irrationales non sunt capaces instructionis & obligationis moralis, quas importat Lex strictè sumpta. Habet ergo respectu creaturarum irrationalium imperfectè & impropriè rationem Legis, quatenus eas dirigit in suis motibus per instinctum, aut necessitatem naturalem.

Petes: utrum ipse Deus subdat Legi æternæ? R. Negative, quia Lex æterna est ipsemet Deus, unde est ipse sua Lex; & aliunde Lex instituitur ad dirigendas creaturas defectibiles in suum finem, quod Deo non competit. Neque refert, quod, si Deus mentiretur, peccaret; quia in hac hypothèsi non esset Deus, cum implicet, quod is sit Deus, cui non repugnat mentiri: tenetur ergo Deus non mentiri non vi alicujus Legis id ei prohibentis, sed ratione repugnantis; & impossibilitatis. Non etiam refert Deum teneri præmiare justos; ad id enim non tenetur vi alicujus Legis, cui debeat obedire, sed ex fidelitate, ratione promissionis factæ.

§. II. Utrum a Lege æterna deriventur omnes alie Leges?

Dico: a Lege æterna derivantur omnes alie Leges. (Ibid. art. 3. o.) Prob. 1. (Ibid. in arg. s. c.) Prov. 8. Sapientia æterna, cujus ratio est Lex æterna, dicit: Per me Reges regnant, & Legum Conditores justa decernunt. Rom. 13. Non est potestas nisi a Deo. Aug. l. 1. de lib. arbitr. c. 6. dicit, quod in temporali Lege nihil est justum ac legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines derivaverunt.

Prob. 2. (Ibid. o.) In omnibus moventibus subordinatis oportet, quod virtus secundi moventis derivetur a virtute primi moventis, quia movens secundum non movet nisi in quantum movetur a primo; atqui gubernare est quoddam movere: ergo in gubernantibus oportet, quod ratio gubernandi a primo gubernante ad secundos derivetur: & ita videmus, quod ratio agendorum in Civitate derivetur a Principe ad inferiores administratores; & in artificialibus ratio artificialium actuum derivatur ab Architecto ad inferiores artifices. Subsumo; atqui Lex æterna est ratio gubernationis in primo & supremo gubernante: ergo omnes rationes gubernationis, consequenter omnes Leges, quæ sunt inferioribus gubernantibus, a Lege æterna derivantur. Confirmatur: Lex æterna est lex per essentiam; omnes autem alie Leges sunt Leges per participationem; atqui, quod est tale per participationem, derivatur ab eo, quod est tale per essentiam, sicut calor in aqua derivatur ab igne: ergo. Triplici autem modo potest intelligi, Leges alias ab æterna derivari: 1. Tanquam ab exemplari; quia omnes Leges ut sint justæ, debent esse conformes Legi æternæ. 2. Tanquam a causa efficiente; quia omnis potestas legislativa inferior est a Deo, ut dixi art. 4. præc. Dissert. concl. 1. 3. Quatenus Lex æterna mediante lumine rationis, vel fidei dicitur & approbat, quæ & quando Leges sint instituendæ pro diversitate circumstantiarum, personarum, locorum, & temporum.

Dices 1. Lex divina positiva est æterna, est enim præceptum

rum Dei ab ipso Deo indistinctum: ergo non derivatur a Lege æterna. R. D. Conseq. Lex divina positiva ut est in Deo, non derivatur a Lege æterna, C. Ut est vel in promulgante, vel in gubernante, vel in subditis, N. Itaque Lex divina positiva potest considerari dupliciter: 1. Ut est in Legislatore Deo, & sic non derivatur a Lege æterna, sed est ipsa Lex æterna inadæquate, quia non extenditur ad tot, & sub diverso connotato, quia connotat creaturas actu existentes, quibus intimatur. 2. Potest considerari secundum quod est in his, qui vel illam publicant, vel alios juxta illam gubernant, vel qui seipsos secundum illam dirigunt: hoc secundo modo considerata est participatio Legis æternæ, & ab ea derivatur, (Hic quest. 91. art. 4. ad 1.) & quidem alio modo, quam Lex humana, tum quia est immediatè a Lege æterna, utpotè a Deo immediatè data & dictata; tum quia etiam eo immediatè habet vim obligandi; Lex verò humana immediatè dicitur & instituitur a Legislatore humano, & ab eo habet immediatè vim obligandi, radicalitèr tantum a Deo.

Dices 2. Præveniendò omnem actum liberum divinæ rationis, consequenter Legem æternam, mentiri est malum, quia est contra Legem naturalem: ergo Lex naturalis non derivatur ab æterna. R. Omitto Ant. D. Conseq. ergo Lex naturalis materialitèr sumpta non derivatur ab æterna, C. Formalitèr sumpta, N. Lex naturalis potest considerari dupliciter: 1. Materialitèr ratione sui fundamenti, quod est habitudo convenientiæ, vel disconvenientiæ extremorum inter se, quantum est ex natura rei præcisè abstractendo ab existentia; ut quod colere Deum sit bonum & conveniens, mentiri malum & disconveniens; Lex naturalis hoc sensu sumpta non derivatur a Lege æterna; nam, etsi per impossibile Deus nihil veller, aut inteligeret, colere Deum esset semper secundum se & ex objecto conveniens, mentiri disconveniens; quod dicitur bonum & malum fundamentalitèr. 2. Potest sumi Lex naturalis formalitèr pro dictamine rationis judicante de ista honestate vel turpitudine, convenientia vel disconvenientia objectorum secundum se, & similitèr decernente conformitèr ad Legem hoc esse bonum faciendum, hoc esse malum fugiendum, Deum esse colendum, mendacium vitandum: Lex naturalis hoc sensu sumpta derivatur a Lege æterna, est enim dictamen a Deo impressum, æterno dictamini, ut exemplari conformè.

Dices 3. Si Lex humana derivaretur ab æterna, obligaret Jure divino; ideo enim Lex divina positiva & naturalis obligant Jure divino, quia derivantur a Lege æterna; Falsum Consequens: ergo. R. N. Sequelam & ejus probat. Non enim ideo Lex divina positiva & Lex naturalis obligant Jure divino, quia derivantur ab æterna, sed quia Deus est immediatè Auctor, & Institutur utriusque, non solum scilicet divinæ, sed etiam naturalis; cum enim sit immediatè auctor animæ rationalis, ita & luminis rationalis, in quo reponitur Legem naturalem, quamvis possit intervenire ministerium creaturæ ut promulgantis. At Lex humana immediatè procedit a potestate humana, non ut promulgante tantum, sed ut instituyente, a quo proinde habet vim obligandi, quamvis aliunde potestas humana sit a Deo.

Inst. Lex humana multa permittit, quæ Lex æterna prohibet: ergo non derivatur ab æterna. R. D. Ant. (Hic q. 93. art. 3. ad 3.) Lex humana multa permittit approbando, quæ Lex æterna prohibet, N. Tolerando, eò quod ea dirigere & impedire non potest, C. Multa igitur diriguntur Lege æterna, quæ dirigi non possunt humana, quia plura subduntur cause superiori, quam inferiori. Sed quod Lex humana non se immittat de his, quæ dirigere non potest, & quod minora mala tolleret, ne hant pejora, hoc provenit ex ordine Legis æternæ. Secus esset, si approbaret ea, quæ Lex æterna reprobat.

Repones: Quædam Leges humane sunt injustæ, quædam sunt inter se contrariæ: ergo non omnes derivantur a Lege æterna. R. N. Ant. pro utraque parte. 1. Lex injusta non est Lex. 2. Nullæ Leges, si sint justæ & considerentur sub eisdem circumstantiis, sub quibus fuerunt institutæ, sunt sibi contrariæ. Dum autem mutatis circumstantiis, mutantur Leges, hanc mutationem dicit ipsa Lex æterna: alioquin quæ in prioribus circumstantiis erat justa, mutatis circumstantiis fieret injusta, & desineret esse Lex.

ARTICULUS II.

De Lege naturali. D. Thom. Q. 94.

An sit, & quid sit Lex naturalis?

Dico 1. (Hic quest. 91. art. 2. o.) Datur in nobis Lex naturalis.

Prob. 1. ex Apost. Rom. 2. Genes, quæ Legem non habent, scilicet Mosaicam, aut Evangelicam, naturalitèr ea, quæ Leges sunt, facti, & ostendunt opus scriptum in cordibus Theol. Billuart. Pars Secunda.

aut, ipsi sibi sunt Lex. Et Ambros. l. 9. Ep. 71. Ea Lex non scribitur, sed innotuit; nec aliqua percipitur lectione, sed profuso quadam nature fonte in singulis exprimitur. Ex Aug. l. 2. Confess. c. 4. Lex tua Domine in cordibus hominum scripta est. Et l. 2. de serm. Dom. in monte c. 3. Quis Legem naturalem in cordibus hominum scripsit, nisi Deus?

Prob. 2. ratione: (Ibid.) Lex, cum sit regula & mensura, duplicitèr potest esse in aliquo: uno modo sicut in regulante & mensurante, alio modo sicut in regulato & mensurato, quia in tantum aliquid regulatur & mensuratur, in quantum participat aliquid de regula & mensura: & cum omnia, quæ divinæ Providentiæ subduntur, regulantur & mensurantur a Lege æterna, omnia participant aliquatèr Legem æternam, in quantum ex ejus impressione habent inclinationes in proprios actus & fines. Subsumo; atqui inter cætera creatura rationalis excellentiori quodam modo divinæ Providentiæ subjacet, in quantum & ipsa est Providentiæ capax, sibi ipsi, & aliis providens: ergo in ea est specialis participatio rationis, seu Legis æternæ, per quam habet inclinationem ad debitum actum & finem: talis autem participatio Legis æternæ in creatura rationali dicitur Lex naturalis.

Confirmatur ab intimo cujusque sensu & testimonio. Nemo est, qui in se non experitur aliquid dictamen intimans & præcipiens bonum esse faciendum, malum esse fugiendum, Deum esse colendum, parentes esse honorandos, non esse mentendum, non furandum, &c. Hoc autem dictamen dicitur Lex naturalis.

Dari ergo Legem naturalem, nemini non notum est: quid sit autem? hæc parùm obscurum. Quidam dicunt, esse ipsam naturam rationalem secundum se; proût ipsi ratione sua essentia aliqui actus conveniunt, vel disconveniunt. Verùm natura rationalis est id, cui Lex imponitur, Lex autem debet distingui ab eo, cui imponitur. Insupèr Lex naturalis, cum sit propriè Lex, ut omnes concedunt, est aliquid rationis, seu aliquid per illam constitutum, quod dici non potest de natura rationali secundum se. Quidam volunt, esse habitum. (Hic q. 94. art. 1. o.) Sed habitus est id, quo agitur; Lex autem id, quod agitur; est enim aliquid per rationem constitutum. Non est autem idem, quod quis agit, & quo quis agit: sic aliquis per habitum grammaticæ agit orationem congruam. Si tamen habitus latè sumatur pro eo, quod habitus tenetur, potest hoc sensu Lex naturalis dici habitus; quia ejus præcepta non semper considerantur actu a ratione, sed sunt in ea habitualitèr tantum.

Quidam existimant, esse dictamen actuale rationis naturalis. Sed contra: 1. juxta SS. Patres. Lex naturalis est nobis innata & indita cum infusione animæ, & est in pueris & amentibus. Dictamen autem actuale non est nobis innatum, sed a nobis elicium, neque reperitur in pueris & amentibus. Sed dicat, nobis innasci causalitèr, & esse causalitèr in pueris & amentibus, ratione scilicet luminis naturalis, quod est hujus dictaminis principium. Contra est, quod amentes & pueri a nativitate obstringantur Lege naturali, ut dicitur infra, nec a culpa in ejus transgressionem excusantur nisi defecit promulgationis ad ipsos, quæ habetur per discursum, cujus non sunt capaces; promulgatio autem non est de essentia Legis, ut fiantur ipsimet hujus opinionis assertores: ergo est formalitèr in ipsis pueris & amentibus, & non tantum causalitèr. 2. Si Lex naturalis esset dictamen actuale elicium a ratione, non magis haberet Deum Auctorem, nec magis obligaret Jure divino, quam humano. 3. Nemo potest esse sibi Legislator; Lex enim est imperium superioris ad inferiores, nemo autem sibi ipsi est inferior.

Quidam dicunt, esse lumen naturale ostensivum boni tantum: verùm Lex non est tantum ostensiva, sed etiam præceptiva boni. Alii tandem tenent, esse ipsam Legem æternam. Equidem non diffiteor, Legem naturalem esse Legem æternam, non ut est in Legislatore regulante, sed ut participatam in subiecto regulato, ut loquitur S. Thom. Sed, quamvis in ratione Legis non differant, differunt tamen in ratione entis, & ut participans a participato. Queritur autem, quid sit istud ens participatum, quod in subiecto regulato dicitur Lex naturalis? Non enim negari potest, quin Lex naturalis sit quid homini intrinsecum, cui secundum Patres innascitur. Itaque

Dico 2. Verius videtur, Legem naturalem nihil aliud esse, quam lumen naturale, ut impressum & participatum a ratione, seu Lege æterna.

Prob. hæc Conclusio, tum ex refutatione aliarum sententiarum; tum quia juxta illam habentur omnia, quæ solent tribui Legi naturali. 1. Nobiscum innascitur, reperiturque in pueris & amentibus. 2. Est non solum ostensiva, sed etiam præceptiva boni, quia est impressio & participatio Legis æternæ, consequenter imperium superioris ad inferiorem. 3. Obligat Jure divino, quia est immediatè a Deo.

Dices 1. Lex est actus rationis practica; atqui lumen naturale in actu primo, ut intelligimus, non est actus, sed principium actus: ergo R. Legem, juxta S. Thom. hic o. & ea, quæ dicitur superius, non tamen esse actum rationis quam constitutum per actum, seu terminum actus; quod maxime verum est de Lege, ut est participata in subjecto regulato; lumen autem naturale, quod dicimus Legem naturalem, est constitutum rationis æternæ, nimirum inditum, impressum, & participatum a ratione æternæ.

Dices 2. Lex divina positiva distinguitur a Lege naturali; atqui, si Lex naturalis sit immediatè a Deo, non distingueretur: ergo R. N. Min. Quamvis enim utraq; sit immediatè a Deo, est tamen disparitas, quod, quæ dicitur positiva, sit a Deo per positivum & speciale aliquod præceptum, puta, *Non machaberis*; naturalis autem est generalitèr data & lata, quatenus est cum natura a Deo indita & impressa.

ARTICULUS III.

Varie Questiones circa Legem naturalem breviter resolvuntur.

Pætes 1. Utrum Lex naturalis contineat plura præcepta, vel unum tantum?

R. Legem naturalem continere plura præcepta, quæ tamen fundantur in uno. (*Ibid. art. 2.*) Ratio est; quia præcepta Legis naturæ eo modo se habent ad rationem practicam, sicut prima principia demonstrationum se habent ad rationem speculativam; atqui in speculativis sunt plurima principia demonstrationum, quæ tamen omnia fundantur in hoc uno, impossibile est idem esse & non esse, seu quod de eodem non sit affirmare & negare, ex eo quod istud fundetur super rationem entis & non entis: ergo similitèr omnia præcepta Legis naturæ fundantur in eo, quod bonum sit faciendum, & malum fugiendum. Prob. Conseq. Quia, sicut eas est primum, quod cadit in apprehensione simpliciter, ita bonum est primum, quod cadit in apprehensione practicae rationis, quæ ordinatur ad opus, omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni; & idèd primum præceptum Legis naturæ est, quod bonum sit faciendum, & malum illi oppositum fugiendum; & super hoc fundantur omnia alia præcepta Legis naturæ, ita ut nihil præcipiat, aut prohibeat, nisi sub ratione boni, vel mali.

Potèd triplicis generis sunt præcepta naturalia secundum triplicem hominis inclinationem, (*Ibid.*) seu potius triplicem inclinationis naturalis gradum: omnia enim illa sunt præcepta Legis naturæ, ad quæ homo habet inclinationem naturalem. Est autem in homine triplex inclinationis gradus. 1. Secundum naturam, quam habet communem cum omnibus entibus, inest ipsi inclinatio ad conservationem sui esse; & secundum hanc inclinationem pertinent ad Legem naturæ ea, per quæ vita hominis conservatur & contrarium impeditur, ut esse dormiendum, comedendum, bibendum, destructivis resistendum, &c. 2. Secundum naturam, quam habet communem cum aliis animalibus, inest ipsi inclinatio ad conservationem speciei; & secundum hanc inclinationem pertinent ad Legem naturæ præcepta temperantia circa res veneras, scilicet commixtio legitima maris & femine, educatio prolium, &c. 3. Secundum naturam rationis, quæ est ipsi propria, inest illi inclinatio ad veritatem de Deo cognoscendam, ad immortalitatem, ad communicationem cum aliis entibus intellectualibus, Deo, Angelis, & hominibus; & hinc inclinationi respondent præcepta, Deum colendi, Parentes honorandi, nemini nocendi, & similia Religionis, Justitiæ, &c.

Item possunt distingui præcepta Legis naturæ in ea (*Ibid.*) quæ sunt per se omnibus nota, qualia sunt prima & universalia, bonum est faciendum, malum fugiendum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &c. Et in ea, quæ sunt magis determinata, & immediatè deducuntur ex primis, ut sunt præcepta Decalogi. Tandem in remotiora, quæ mediatè tantum deducuntur ex primis, ut sunt plura, quæ spectant contractus. Possunt adhuc distingui præcepta Legis naturæ per ordinem ad personas circa quas versantur. Quædam enim versantur circa Deum, quædam circa proximum, quædam circa nos. Itaque Lex naturæ potèd dici multiplex & una. Multiplex, quia continet plura & diversa præcepta; una, quia omnia fundantur in uno, ut dictum est, & ad unum ultimum finem ordinantur.

Pætes 2. Quænam pertinent ad Legem naturæ, an solum præcepta, quæ sunt principia moralia; an etiam Conclusiones ex eis deductæ? R. ad Legem naturæ pertinent, non solum principia, sed etiam Conclusiones ex eis necessario, sive proximè, sive remote, deducunt; idèdque vi solius Legis naturalis independenter ab ulla institutione positiva, sive divina, sive humana, obligant, ut sunt præcepta Decalogi, & alie Conclusiones remotiores: excipere præceptum de sanctificatione Sabba-

thi quantum ad determinationem temporis, ut dixi in Tract. de Relig. Ratio est; qui tam principia moralia, quam Conclusiones, quæ cum his habent necessariam connexionem, præcipiunt ea, quæ per se, & secluso omni Jure positivo, sunt bona, & prohibent, quæ per se, & secluso omni Jure positivo sunt mala: ergo non sunt Juris positivi, sed naturalis.

Dices 1. Omnes Leges positivæ sunt Conclusiones deductæ ex principiis moralibus; si enim non forent illis consentaneæ, non forent justæ; atqui tamen non pertinent ad Legem naturæ: ergo R. D. Ant. Omnes Leges positivæ sunt Conclusiones deductæ ex principiis moralibus per necessariam consequentiam, N. Per consequentiam non necessariam, C. Sunt equidèd ipsis consentaneæ, non tamen habent necessariam connexionem cum illis; unde, ut obligent & de necessitate serventur, debet accedere auctoritas Legis positivæ.

Dices 2. Si omnia præcepta Decalogi pertinent ad Legem naturæ, frustra Deus per Legem positivam eam præcepisset, aut prohibuisset: ergo Respondet huic objectioni Aug. in Ps. 57. *Scriptum est in tabulis, quod homines in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere volebant. Appositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogebantur; & quasi foris visus adnotata voce Dei, ad sua interiora compulsus est homo.*

Pætes 3. Utrum omnes actus virtutum sint de Lege naturæ? R. 1. (*Ibid. ad 3.*) Si loquamur de actibus virtutum secundum seipso, prout scilicet in propriis speciebus considerantur, sic non omnes sunt de Lege naturæ. Multa enim secundum virtutem fiunt, ad quæ per se i. natura non inclinat, nec obligat; ut sunt consilia Evangelica, & quæ ratio per inquisitionem invenit, & Lex positiva statuit observanda, ut alia ad finem, v. gr. Jejunium Quadragesimæ. Si verò loquamur de actibus virtutum in communi, & secundum rationem formalem virtutis, sunt omnes de Lege naturæ, quatenus Lex naturæ præcipit, ut si fiant, virtuosè fiant; quia id dicitur pertinere ad Legem naturæ, ad quod homo inclinatur secundum suam naturam: inclinatur autem homo secundum suam naturam ad agendum secundum rationem, quæ est ipsa sua natura, consequenter ad agendum virtuosè.

Pætes 4. Utrum Lex naturæ obliget omnes homines, etiam pueros & amentes? Antè responsum suppono ut certum, Legem naturalem obligare in conscientia tum ex Apost. Rom. 2. dicente de iis, qui Legem scriptam & positivam non habebant: *Quicumque sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt*, eò quod nempe Legem naturalem violaverint; tum quia Lex naturalis, ut diximus, est ipsa Lex æternæ, ut in subjecto regulato, in quo est proxima regula & mensura humane voluntatis. Si dicas, Legem naturalem supponere obligationem, non præcipit enim, aut non prohibet nisi quæ secundum se sunt bona, vel mala, proinde eam non inducere. R. Supponere equidèd aliquam obligationem pertinentem ad ordinem naturæ, quatenus unaquæque res hoc sibi debet, ut nihil faciat, quod naturæ sit disconveniens; superaddit tamen aliam specialem obligationem, moralem scilicet ex præcepto; est enim omni præcepto intrinsecum obligare. Hanc equidèd obligationem vocant Juristæ naturalem, non quod non sit moralis, sed ut distinetur a Civili. Hoc supposito,

R. ad petitionem, Legem naturalem omnes obligare, etiam pueros & amentes; hos tamen imperfectè & in actu primo, non perfectè & in actu secundo. Ratio 1. partis; quia Lex naturalis est omnibus etiam pueris & amentibus cum natura indita, ut dictum est, ita ut, quæ pueri & amentes agunt contra Legem naturæ, sit turpe & indecens, ut si blasphemant, se pollutant, aut quid simile agant; nec cuiquam licet eos ad hæc inducere, quod est signum apertum eos sub Lege naturali comprehendi, & ea obligari, saltem in actu primo. Ratio 2. partis est; quia pueri & amentes non sic obligantur Lege naturali, ut si eam transgrediantur, peccent & incurrant reatum poenæ, sed a peccato & poena excusantur, quatenus ista Lex non est ipsis promulgata; promulgatur enim per dictamen actuale seu discursum, cujus non sunt capaces, consequenter eos non obligat perfectè & in actu secundo.

Pætes 5. Utrum omnis obligatio sit effectus Legis naturalis? R. non omnem obligationem esse effectum proximum Legis naturalis, esse tamen effectum remotum. Ratio 1. partis est; quia Leges positivæ tam divine, quam humane per se immediatè obligant; neque ullus dicit obligationem jejunandi in Quadragesima, consistendi annuè, communicandi in Paschate, credendi, sperandi &c. criti proximiè & per se ex Lege naturæ. Ratio 2. partis est: Ideò Lex positiva obligat, quia Lex naturalis dicit & præscribit esse obtemperandum legitime præcipienti; & idèd docent Theologi, neminem averti a Deo ut Auctore supernaturali, quin avertatur ab eo ut Auctore naturali, quod verificari non potest, nisi quia transgrediendo Legem supernaturalem simili transgreditur Legem naturalem.

Utrum, & quomodo Jus naturale distinguitur a Jure gentium,

tium, habes, in Tract. de Jure Dissert. 1. art. 3. Item, utrum possit dari ignorantia invincibilis Juris naturæ? affirmative resolutum, & late probatum require in Tract. preced. Dissert. 5. art. 4.

Superest unica quæstio etiam celebris, licet forte plus in ea agatur de nomine, quam de re, utrum scilicet Lex naturalis admittat dispensationem? Undè

ARTICULUS IV.

Utrum Lex naturalis possit pati mutationem, aut dispensationem?

Lex naturalis potest intelligi mutari duplicitèr; uno modo per additionem; & sic nihil prohibet, Legem naturalem mutari; multa enim Legi naturali superaddita sunt ad humanam vitam utilia tam per Legem divinam positivam, quam per Leges humanas. Alio modo potest intelligi mutatio Legis naturalis per modum subtractionis, seu defensionis, ita scilicet quod aliquid desinat esse de Lege naturali, quod primo fuit secundum Legem naturalem. (*Ibid. art. 5. o.*)

Et hæc mutatio potest adhuc intelligi duplicitèr: 1. Ab intrinseco, ut si, ad tempus lata, eo finito desinat; aut si de justa, & unil fiat injusta & noxi. 2. Ab intrinseco, ut si a superiore abrogeat, aut ei deroget, aut in ea dispensetur. Iterum hæc utraque mutatio tam ab intrinseco, quam ab extrinseco potest intelligi duplicitèr: 1. Proprie, ut in sensu dicto. 2. Improperie per mutationem materię, ita ut materię, quæ erat objectum Legis, ita mutetur, ut desinat esse ejus objectum. Ut certa ab incertis, & controversis seprenus.

Suppono ut certum, Legem naturalem non posse proprie mutari ab intrinseco; quia non est lata ad tempus, neque potest fieri de justa injusta, cum nihil pœcipiat, quod non sit intrinsecè, & ex natura rei bonum, neque aliquid prohibeat, quod non sit intrinsecè, & ex natura rei malum, proindeque immutabiliter; naturæ enim sui essentia rerum sunt immutabiles. Idem videtur dicendum propter eandem rationem de abrogatione Legis, aut derogatione. Abrogatio est abolitio Legis in toto, derogatio in parte.

Potest tamen Lex naturalis mutari improprie, quatenus ejus materia sit potest mutari, quod desinat esse materia & objectum Legis: v. gr. Quamvis Lex dicit depositum esse reddendum, si tamen petatur in perniciem Patris, redditio depositi desinat esse materia, & objectum Legis, quia Lex intelligitur de deposito reddendo circumspicit & prudenter. Et de ista mutatione Legis improprie loquitur S. Thom. dum hic dicit Legem naturalem quantum ad secunda præcepta posse mutari propter aliquas causas impediens eorum observantiam. Similiter, dum art. 4. præc. dicit, Legem naturalem quantum ad principia propria, quæ sunt quasi conclusiones communium, non esse una apud omnes secundum rectitudinem; S. Doctorem intelligere de mutatione legis naturalis ex parte materię, patet ex lectione utriusque artic. & ab exemplo, quod profert de Lege depositi reddendi, quod si repetatur irrationabiliter, desinat esse materia Legis.

Ad cuius & sequentium elucidationem observandum est, esse quasdam Leges naturales, quæ exprimentur terminis tam restrictis, ut a re per eos significata impossibile sit abesse turpitudinem, vel honestatem, ut ista: *Non mentiris*. Sunt autem alie, quæ terminis latioribus exprimentur; ita ut, quamvis rem per eos significatam plerumque committet turpitudinem, vel honestas, potest tamen ab illa abesse, ut in his: *Depositum reddes*: *Non occides*. Ratio enim, seu Lex naturalis nihil aliud dicit, dicitur unquam, aut dicitur potuit, quam quod *Depositum reddes* prudenter, seu rationabiliter repetenti; & *non occides* privata auctoritate, seu indebitè. Et id facile apprehendit quisquis prudens & intelligens. Ex quo inferes, non in omnibus præceptis Legis naturæ posse fieri mutationem ex parte materię.

Est itaque tantum quæstio de mutatione Legis naturalis per dispensationem, an scilicet aliqua potestas humana, vel saltem divina possit in ea dispensare? Dispensatio, sicut divi de mutationes, est duplex, proprie & improprie dicta. Dispensatio proprie dicta est relaxatio Legis, seu ejus obligationis in aliquo particulari, facta ab habente potestatem, manente materia Legis sic immutata, ut ejus obligatio remaneret, si non accederet auctoritas dispensantis. Undè, quamvis dispensatio supponat aliquam Legis interpretationem, ab ea tamen distinet, quod ad interpretationem non requiratur auctoritas, sed sufficit prudentia & scientia. Dispensatio improprie dicta est, quando Legislator, vel alter sic mutat materiam Legis, ut desinat comprehendi sub Lege. Hinc dispensatio proprie spectat Legislatorem, seu superiorem; dispensatio autem improprie spectat dominum materię, sive sit Legislator

& superior, sive non. Sic Deus concedendo spolia Aegyptiorum Israelitis, egit ut Dominus, non ut Legislator. Sic privatus, qui remittit mihi debitum centum florenorum, agit ut dominus istius debiti, non ut superior. E contra, si Deus, aut Papa eximeret aliquem a Lege jejunii, vel sanctificationis Sabbathi, ageret ut Superior & Legislator; & idèd sequitur aliud discrimen, quod dispensatio propria directè cadat supra Legem; impropria autem directè cadat supra materiam, seu debitum; ita ut, qui dispensatur proprie, v. gr. in jejunio, non teneatur amplius Lege jejunandi, sicut teneatur alii. Qui vero dispensatur improprie, v. gr. in redditione debiti, quod remittitur, vel in ablatione alieni, quod ipsi conceditur a domino, semper teneatur, sicut omnes alii Lege naturali non furandi, aut solvendi debita; quod si hic & nunc licitè aut alienum auferat, aut debitum non solvat, non est, quia eximitur ab istis Legibus, sed quia non remanet vel alienum, vel debitum, nec consequenter Legis materia. Hæc si bonè perpenderit, tollunt equivocationes, quibus multi decipiuntur in hac materia.

Circa propositam itaque quæstionem, Okam, Gerson, Petrus de Alliaco, & pauci quidam antiqui opinati sunt, Deum posse absolutè dispensare in omnibus præceptis Legis naturæ, imò totam illam Legem abrogare, ita ut etiam odium Dei non esset peccatum. Sed hæc opinio merito rejicitur ab aliis Theologis, & nunc inolevit. Scotistæ cum suo Duce teneant, Deum posse dispensare in præceptis secunda tabule tantum, excepto præcepto de mendacio. Communior aliorum Theologorum sententia est, neque Deum posse proprie dispensare in ullo præcepto Legis naturæ, sed tantum improprie, cum quibus.

Dico: Neque Deus ipse absolutè potest dispensare proprie in Lege naturali; bonè tamen improprie (*Infra quæst. 100. art. 8. o. & ad 3.*)

Est certò S. Thom. qui infra quæst. 100. art. 8. o. sic decretoriè & generalitèr concludit articulum: *Præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia*. Neque audiendus est erudit. P. Henno, dum dicit S. Thom. velle dumtaxat præcepta Decalogi esse indispensabilia ab homine, non vero a Deo. Etenim S. Doctor, obiciens sibi tertio loco hoc argumentum: *Homo potest dispensare in sua Lege: ergo & Deus in præceptis Decalogi ab ipso institutis*. Respondet negando Conseq. & dicit *Deus negaret seipsum, si ordinem suæ justitiæ auferret, cum ipse sit sui justitiæ, & idèd in hoc Deus dispensare non potest, ut homini licet non ordinatè se habere ad Deum, vel non subd. ordini justitiæ suæ, etiam in his secundum quæ homines ad invicem ordinantur, quæ sunt præcepta secunda tabule; in quibus Scotistæ dicunt Deum posse dispensare. Ast, inquit, Scotista: *In nostro casu nulla est inordinatio, cum actio fiat justa & licita*, scilicet per dispensationem. Ast, inquit ego, manifestè in hoc contradicit S. Thomæ siquidèd S. Doctor loquitur in sensu composito dispensationis, & velit quod esset inordinatio etiam posita dispensatione: dicit enim, quod Deus non possit dispensare in præceptis Decalogi etiam secunda tabule; quia aliqui dispensaret, ut homo se inordinatè haberet: ergo agnoscit fore inordinationem etiam in hypothesi dispensationis.*

Prob. 1. pars conclusionis. 1. Deus non potest efficere, ut ea, quæ prohibentur jure naturæ, v. gr. odium Dei, perjurium, homicidium, furum, adulterium, pollutio, sodomia, bestialitas, &c. sint licita, honesta, & non rationi dissona; neque, quæ præcipiuntur, ut sunt officia Religionis, justitiæ, &c. pro loco & tempore non sint honesta & debita, manente materia Legis immutata: ergo non potest dispensare proprie in Lege naturali. Patet Conseq. ex notione data dispensationis propriæ, quæ est relaxatio obligationis Legis, ejus materia manente immutata, ita ut quod prius erat prohibitum, inhonestum, & illicitum, absque mutatione materię fiat per dispensationem honestum, & licitum. Prob. Ant. Hi actus enumerati, & similes, prohibiti Lege naturali, sunt intrinsecè, & ex natura sua independenter a voluntate Dei turpes, mali, & rationi dissoni. Actus præcepti Lege naturali sunt pariter ex natura sua intrinsecè, independenter a voluntate Dei, honesti & debiti pro loco & tempore; atqui Deus non potest efficere, quod id, quod est ex se tale, manens invariabile non sit tale; sicut non potest efficere, quod homo manens homo non sit animal rationale, quod igni manenti igni non sit conveniens calor; non enim potest mutare naturas rerum: ergo.

Respondet P. Henno, hæc quidèd esse mala, quando non adest dispensatio Dei; secus, quando adest; quia, inquit, licet lumen naturale dicitur non esse furandum, occidendum, &c. illud tamen non dicitur, quando adest dispensatio Dei permittentis; sicut, licet dicitur lumen naturale esse obediendum superiori, non tamen ubi dispensat in sua Lege. Sed contra:

1. Hæc responsio supponit, quod est in questione, nempe Deum posse dispensare in Lege naturæ, hoc est enim quod queritur, & quod negamus. 2. Instauratur argumentum jam factum: Quod est necessarium malum, & illicitum independentè a voluntate Dei, non potest per illam, seu ejus dispensationem fieri honestum & licitum; atqui, quæ prohibentur Lege naturali, sunt necessario mala, & illicita independentè a voluntate Dei, sunt enim prohibita quia mala, & non mala quia prohibita: ergo non possunt fieri licita per Dei dispensationem: seu, si vis, in falsa dispensationis hypothesi, forent licita & illicita: licita, quia permissa & dispensata; illicita, quia rationi dissona, cum sint talia ex natura sua, & pro priori ad Dei voluntatem, hæcque voluntas non mutat naturam rerum?

Quantum ad id, quod addit laudatus Theologus, quod, licet Lex naturalis dicatur esse obediendum superiori, non tamen ubi dispensat in sua Lege, aperta est disparitas; quia Legislator humanus, cum non præcipiat, aut prohibeat intrinsicè bona, vel mala, potest dispensare sua Lege: posita autem dispensatione in Lege humana cessat materia Legis naturalis, dictantis esse obediendum superiori præcipienti; secus in Deo respectu Legis naturalis.

Confirmatur 1. Conclusio & simul amplius confutatur præcedens evasio. Deus non potest dispensare in Lege, quam necessario tulit & necessario conservat; atqui supposito, quod voluerit creare hominem, necessario tulit & necessario conservat Legem naturalem; cum enim sit justissimus & sanctissimus, non potuit nec potest non prohibere, quæ sunt ex se rationi dissona & turpia, neque non præcipere, quæ sunt ex se rationi consona & necessaria: ergo. Confirmatur. 2. Quodecumque præceptum Legis naturæ fundatur in natura hominis, & in tantum est Legis naturæ, in quantum est natura rationali debitum: ergo, quædam natura rationalis non mutatur, non potest non esse eadem ratione debitum; atqui Deus non potest mutare naturam hominis: ergo non potest facere quod id, quod erat Juris naturæ, non sit deinceps Juris naturæ. Confirmatur. 3. Non potest Deus dispensare in Lege æterna; atqui Lex naturalis nihil est aliud, quam Lex æterna ut participata in homine, ut fatetur Henno: ergo. Prob. Maj. tum ex Aug. l. 1. de lib. arbit. c. 6. ubi dicitur, Legem æternam esse invariabilem; tum quia, si mutaretur, cum sit ipsa ratio divina, Deus ipse mutaretur: ergo.

Prob. 2. ex concessis ab Adversariis. 1. Concedunt, Deum non posse dispensare in præceptis negativis primæ tabulæ, neque in mendacio; quia, inquit Franc. Henno, Deus non potest facere, ut malum perseverans malum possit licitè fieri. Sed si posset in præfatis dispensare, hoc facere posset... quia facere posset, ut quis licitè Deum odio haberet, pejeraret, blasphemaret, idola coleret; quæ ita sunt ex suis intrinsicè mala, ut, velit nolit Deus, semper maneat mala, quandoquidem sint talia independentè ab ejus voluntate. Ità laudatus Theologus disp. 1. de Leg. quæst. 4. art. 1. Concl. 2. Subsumo; atqui tota ista argumentatio nostra est pro præceptis secundæ tabulæ, & æquè probat pro illis, ac pro præceptis primæ tabulæ; sunt enim illa, sicut ista, ita ex suis intrinsicè mala, ut velit nolit Deus, semper maneat mala: Quandoquidem (nota) sint talia independentè ab ejus voluntate; sunt enim prohibita quia mala, & non mala quia prohibita: ergo.

At dicit fortè aliquis Scotista disparitatem esse, quod præcepta primæ tabulæ, & mendacium sint de lege naturæ strictè; præcepta verò secundæ tabulæ, excepto mendacio, sint de Lege naturæ largè; sic enim distinguit Scotus præcepta Legis naturæ. Sed quæro a Scotistis, quare prima sint de Lege naturæ strictè, & non secunda, cum hæc sicut illa sint ex intrinsicè, & independentè a voluntate Dei mala & turpia. Si respondeant, ut videntur respondere, quia in primis Deus non potest dispensare, & potest in secundis, committunt circulum vitiosum, & probant idem per idem, nempe prima esse de Lege naturæ strictè, & non secunda, quia Deus non potest dispensare in primis & potest in secundis, & Deum posse dispensare in secundis, & non in primis, quia prima sint de Lege naturæ strictè, & non secunda; quod est evidentiissimè petere principium, & probare idem per idem.

2. Concedunt, Deum non posse dispensare in sodomia & bestialitate; quia, inquit scæpe laudatus Henno quæst. 5. art. 2. supposita tali dispensatione, adhuc sui horrorem ingerunt, tum propter horribilem indecentiam, tum propter omnimodam naturæ subversionem, tum etiam quia nullo sine cohonestari possunt. Porro non alia ratione adhuc sui horrorem ingerunt, supposita dispensatione, nisi quia ex intrinsicè suis independentè a Dei voluntate sunt turpia & mala, idè non obstante dispensatione retinent indecentiam, subvertunt naturam, & nullo sine cohonestari possunt; atqui etiam homicidium, furtum, adulterium, fornicatio, pollutio sunt ex suis

intrinsicè mala, & turpia independentè a voluntate Dei: ergo.

Si dicas cum eodem Henno ibid. Obj. 3. Inst. 4. Adulterium & homicidium posse concipi sine malitia; dicam pari jure, sodomiam & bestialitatem posse concipi sine malitia; si enim verum sit, ut vult iste Theologus, quod, dum concipitur concubitus cum uxore aliena, concipitur adulterium, & non concipitur malitia; ita verum erit, quod, dum concipitur concubitus cum persona ejusdem sexus, concipitur sodomia, & non concipitur malitia: ergo vel utrumque, vel neutrum erit dispensabile.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Varia exempla Scripturarum, in quibus Deus videtur dispensasse in Lege naturæ. Etenim homicidium, fornicatio, furtum, matrimonium inter fratres & sorores, polygamia, libellus repudiij, sunt contra Legem naturæ; atqui Deus in his dispensavit: 1. namquè Genes. 2. dispensavit cum Abraham, ut occideret filium innocentem. 2. Osee 1. dispensavit cum ipso Propheta, ut fornicaretur. 3. Exod. 12. dispensavit cum Israëlitis, ut furarentur vasa Ægyptiorum. 4. Dispensavit cum filiis & filiabus Adæ, fratribus, & sororibus, ut inter se inirent matrimonium. 5. Dispensavit cum Patriarchis Abraham, Jacob, & aliis, ut acciperent plures uxores. 6. Cum Judæis ut matrimonio, dato libello repudiij, dissolveretur: ergo. R. in his omnibus, & similibus non fuisse dispensationem propriam, sed impropiam per mutationem materiæ, quæ desit comprehendi sub Lege naturæ. Unde Ad 1. Cum Deus sit supremus vite Dominus, mandando Abrahamo occidere filium suum, fecit ut hæc occisio non esset amplius materia Legis hujus naturalis, Non occides; per hæc Legem enim non prohibetur qualescumque occisio, sed solum occisio indebita, & privata auctoritate.

Inst. cum Henno: Qui ex Superioris licentia non jejunat in Quadragesima, vel laborat in die Festo, id facit auctoritate publica, non poterat privata; atqui tamen propriè dispensatur: ergo similiter. R. N. Conseq. Disparitas est, quod materia Legis in primo casu maneat immutata, & subiaceret Legi actu obliganti, si non accederet auctoritas dispensantis: at in nostro casu materia mutatur; occisio enim ex auctoritate domini vite non comprehenditur sub Lege: Non occides, sicut nulla indiget dispensatione, ut sit licita. Unde in primo casu dispensatio directè cadit supra Legem, in nostro casu supra materiam, ut observavimus supra.

Ad 2. R. Inter Oseam & meretricem intervenisse verum conjugium. Unde horum verborum, *Sume tibi uxorem fornicariam*, sensus est: mulierem fornicariam accipe tibi in uxorem. Ità Aug. l. 22. contra Faustum c. 80. ubi Fausto objicenti, Deum veteris testamenti esse flagitij auctorem, & fornicationis præceptorem, respondet: *Quid enim adversum clementiam veritatis? Quid inimicum Fidei Christianæ, si meretrix, relicta fornicatione, in castam conjugem commutetur?* Hinc interpretati subscribit Hieron. Basil. Cyrill. Irenæus, Theodoret. apud Terentium, & communis Interpretes.

Inst. Hinc interpretationis refragantur verba sequentia; *Fac tibi filios fornicationum*, quibus verbis aperte significatur non fuisse legitimam uxorem. Unde S. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 2. dicit: *Osee non peccavit fornicando ex mandato divino*: ergo.

R. Horum verborum, *Fac tibi filios fornicationum*, sensum esse, sic per adoptionem filios tuos, quos illa mulier genuit per fornicarios concubitus. Hunc sensum esse legitimum, probant 1. aliæ versiones, Græca, Syriaca, Arabica; in quibus non habetur, sicut nec in Hebræo, & plurimis manuscriptis Latinis, *Fac tibi filios fornicationum*, sed, *Vade, accipe tibi uxorem fornicariam, & filios fornicationum*. Ità observant a Lapide, & alii Interpretes. 2. Res mysticè significata per istud mandatum, scilicet Gentilium in Idololatriæ vatorum conversio ad Christum. 3. Quia facere in Scriptura quandoque accipitur pro acquirere: sic Genes. 2. legitur, quod Abraham tulit Sarai uxorem suam, & Lot filium fratris sui, universamque substantiam, & omnes animas, quas fecerat in Haran: ubi per animas, quas fecit Abraham in Haran, non solum intelliguntur ejus filii & filiz, sed servi, ancillæ, & pecora, quæ acquisiverat. Alii non improbabiliè dicunt, filios ab Osea legitime procreandos vocari filios fornicationum, propter matris fornicationes præteritas; sicut Genes. 2. Adam dicit de Eva: *Hoc nunc os ex ostibus meis*. Et Exod. 7. Coluber vocatur virga: *Devoravit virga Aaron virgas totum*; & Corpus Christi in Eucharistia vocatur Panis; quia Eva fuit os Adæ, Coluber virga Aaron, & Corpus Christi panis. Potest etiam dici, vocari filios fornicationum, quia indolem matris secuti, futuri erant fornicarii. Quantum ad S. Thom. scipsum ibidem explicat; subjungit enim immediatè: *Nec talis concubitus propriè fornicatio dici debet, quàmvis fornicatio nominetur, referendè ad cursum communem*.

Inst.

Inst. S. Thom. & S. Bernardus non agnoscunt inter Oseam & meretricem verum matrimonium, sed Oseam excusant ea tantum ratione, quòd ad illam accesserit, mandante Domino. Dicit enim Bernardus, loco infra citando, quod fuisse flagitium, *Si non excusasset factum auctoritas imperantis*. Et S. Thom. infr. quæst. 100. art. 8. ad 3. *Osee accessit ad uxorem fornicariam non est fornicatus; quia accessit ad eam, que sua erat secundum mandatum divinum*. Si verò fuisset legitimum matrimonium inter Oseam & hanc mulierem, non opus fuisset mandato divino, ut hæc commixtio non esset flagitium. R. 1. Antecedens non colligi certo ex S. Thom. potest enim intelligi, quòd Osee accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum divinum, quatenus scilicet Deus illi mandaverat illam accipere in uxorem. Quantum ad S. Bern. quidam respondent, fuisse prohibitum Sacerdotibus & Levitis, ne ducerent scortum, vel repudiatum, & ideo Oseam indignissime dispensatione hujus Legis, ut sine flagitio mulierem fornicariam duceret.

Sed esto, ex solo Dei mandato sine mutuo consensu matrimoniali Oseam accessisse ad mulierem fornicariam; altera responsio est, id eum licitè fecisse absque dispensatione propria, sed per solam materiæ mutationem, quatenus nempe Deus ut supremus corporum Dominus transtulit dominium corporis meretricis in Oseam, & fecit suam. Si dicas, matrimonium ut potè contractum non posse subsistere sine mutuo consensu contrahentium. Respondetur aduise æquivalenter: requiritur enim consensus mutuo contrahentium ad translationem mutua corporum; hæc autem translatio facta est a supremo corporum Domino, cujus ideo consensus æquivaleret consensui formali contrahentium. Hæc interpretatio est probabilis, sed prima, quæ agnoscit verum matrimonium inter Oseam & meretricem, est probabilior & communior.

Ad 3. R. quòd, quando filii Israël ex præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia, non fecerint furtum; quia furtum est accipere alienum, invito Domino: acceptum autem, quod suum erat, annuente & volente supremo rerum Domino. Unde non fuit propria dispensatio, sed mutatio materiæ, quatenus id, quod erat alienum, factum est suum.

Ad 4. R. 1. Probabile esse, juxta Cajetanum & quosdam alios, matrimonium inter fratres, & sorores non esse Jure naturæ prohibitum: sed omnia nunc hæc sententia, de qua dum de matrimonio. R. 2. Matrimonium inter fratres, & sorores non esse contra Jus naturæ simpliciter & absolute, seu pro omni casu & statu; sed tantum extra casum necessitatis, qualis necessitas erat tempore Adæ, & Evæ propagandi genus humanum, quod propagari non poterat, nisi conjungerentur fratres & sorores. Hæc enim necessitas abstergebat aliquem indecentiam matrimonii inter sanguine proximo junctos. Neque id speciale est huic materiæ. Multa enim extra necessitatem repugnant Juri naturali, quæ non repugnant in necessitate. Contra Jus naturæ est, quod sine necessitate tollam alienum; secus premente necessitate. Contra Jus naturæ est, quod non subveniam fame pereunt; secus, si sim in eadem necessitate. Contra Jus naturæ est, quod Princeps sine necessitate imponat tributa plebi; secus in necessitate; & sic plura alia.

Ad 5. de Polygamia, posset dari eadem responsio;posito enim Dei decreto multiplicandi populum fidelem, necesse erat plures uxores jungi paucis Patriarchis. Respondent alii, Polygamiam, non Jure naturæ, sed solo Jure positivo prohiberi. Sed quidquid sit de istis responsionibus, & dato, Polygamiam esse simpliciter Jure naturæ prohibitam, R. Non fuisse dispensationem propriam, sed solum mutationem materiæ, quatenus Deus ut supremus corporum Dominus integram potestatem super corpus viri, quæ competere poterat uni uxori, divisit in plures, quo posito, Polygamia Juri naturali non repugnat.

Ad 6. de Lybello repudiij, R. 1. Valdè probabile esse Libellum repudiij non fuisse permissum Judæis ut licitum, sed toleratum dumtaxat ad graviora mala vitanda. Unde Chsistus Matth. 19. dicit Judæis, ad duritiam cordis eorum Moysen permisisse Libellum repudiij. Sed dato, concessum eis fuisse ut licitum, R. 2. Id factum fuisse per mutationem materiæ, in quantum Deus abtulit dominium, quod habebant conjuges in mutua corpora; quo ablato, manebant liberi.

Contra hæc omnes, aut saltem plerasque hæc interpretationes subsumes; atqui nulla unquam fit dispensatio etiam propriè dicta in Legibus positivis, sine mutatione materiæ; vel præfate dispensationes, non obstante mutatione materiæ, sunt propriè dictæ dispensationes, vel nulla unquam fuit, aut erit dispensatio propriè dicta, etiam in Legibus positivis. Prob. Subsumptum: Nulla unquam fit dispensatio propriè dicta sine justa causa interveniente: ergo nec sine mutatione materiæ. R. N. Subsumptum: Ad probat. D. Ant. dupliciter: 1. Nulla unquam fit licitè dispensatio propriè dicta sine justa causa interveniente, C. Valide, N. 2. Nulla unquam fit dispensatio pro-

priè dicta sine justa causa interveniente, quæ vel non immutat materiam Legis, vel non sic immutat, ut desinat subijci Legi, ut tollatur ejus obligatio; C. Quæ sic immutat materiam Legis, ut desinat subijci Legi, & tollatur obligatio, N. Unde neganda est Conseq. in sensu instantiæ, vel distinguenda est ad sensum præcedentis distinctionis. Itaque sunt quædam causæ legitimè dispensandi, quæ efficiunt materiam Legis, & illam aliquo usque immutant, sed non eo usque ut desinat esse materia Legis, & tollatur ejus obligatio, nisi superveniat auctoritas dispensantis. Ut cum quis propter aliquam infirmitatem dispensatur in jejuniis, vel propter aliqualem necessitatem dispensatur in observantia festi, intervenit quidem aliqua mutatio Legis, sed non sufficiens, ut tollatur ejus obligatio; sufficiens tamen, ut tollatur per dispensationem. Sunt autem aliæ causæ legitimè dispensandi, quæ non efficiunt materiam Legis, neque illatenus immutant, nimirum ipsi prorsus extrinsecæ: ut si Dux dispenseret militem ab agendis excubiis propter aliquod egregium facinus, vel Superior dispenseret Religiosum a Choro propter insignia merita.

Obj. 2. Ex S. Bernardo, qui libr. de dispens. & præcept. c. 5. dicit: *Non occides, non machaberis, non furtum facies & reliqua illius tabulæ legistica, que est nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuicumque hominum ex his aliquo modo solvere aut licitè, aut licitè, dominum tamen horum, quod voluit, & quando voluit, solvit, sive cum Hebræis Ægyptiis spoliari, sive quando Prophetam cum muliere fornicaria misceri præcipit*: ergo. R. Doctorem melius intellendum esse de dispensatione impropria per mutationem materiæ. Patet 1. Ab exemplis, quæ profert spoliationis Ægyptiorum, & accessus Osee ad meretricem, in quibus, ut diximus, Deus non dispensavit propriè, sed impropiè mutando materiam Legis. 2. Quia non dicit, Deum posse dispensare in præfatis, sed posse ea solvere mutando materiam.

Inst. cum Henno. S. Bernardus dicit, Deum posse dispensare in præfatis ea dispensatione, qua non potest homo; atqui homo potest in his dispensare improprie, materiam mutando, v. gr. dum dominus rei furtivæ transfert ejus dominium in frem: ergo. R. omnia Majori; quia, ut observavi, S. Bernardus non dicit posse in his præceptis dispensare, sed posse ea solvere; D. Min. homo potest in his dispensare circa aliquam particularem materiam humane potestati subditam, & intra communem rerum ordinem, C. Min. Ex summa in res inferiores potestate, & extra communem rerum ordinem, sicut Deus, N. Min. & Conseq. Vult ergo S. Bernardus, quòd nullus hominum possit immutare materiam Legis naturalis ex summa & universali potestate, quali pollet Deus in omnia inferiora, & extra communem rerum ordinem, sicut fecit cum Ægyptiis, Osea, & Samsone; licet id possit circa aliquam materiam particularem subjectam potestati humane secundum communem rerum ordinem.

Obj. 3. A ratione. 1. Deus non necessitatur ad aliquid extra se: ergo potest dispensare in actibus hominum, quos Lex naturalis præcipit, aut prohibet. 2. Beatitude hominis non pendet ex aliquo actu circa creaturas; potest enim Deus solo sui amore, vel visione, hominem beatificare: ergo in præceptis secundæ tabulæ, quæ creaturas respiciunt, potest dispensare. 3. Sic se habet Deus in suis Legibus, sicut Legislator humanus in suis; atqui hic potest dispensare in suis Legibus: ergo & Deus. 4. Deus potest impedire dictamen rationis circa aliquod præceptum Legis naturalis, vel denegare concursum ad ejus impletionem: ergo dispensare. R. ad primum: 1. Indè pariter sequi, Deum posse dispensare in præceptis primæ tabulæ, quòd tamen negat Scotus, cujus est hæc ratio. 2. D. Ant. Deus non necessitatur simpliciter, & absolute ad aliquid extra se, C. Ex hypothesi, N. Ex hypothesi enim, quòd creaverit naturam rationalem, necessitatur approbare, quæ illi sunt consentanea, & improbare, quæ illi sunt dissentanea; sicut ex hypothesi quòd creet hominem, necessitatur illum creare animal rationale. Ad 2. N. Conseq. Quamvis enim beatus homo non pendet ex ejus actibus circa creaturas, ita ut, quidquid mali egerit circa illas, Deus posset remittere, & non punire, non sequitur ideo, quòd, quæ sunt rationi dissentanea, Deo non displiceant, & ipsum non offendant. Ad 3. D. Ant. sic se habet Deus in suis Legibus positivis, sicut Legislator humanus in suis, C. In lege naturali, N. Quia hæc non pendet a libera ejus voluntate, sed ad illam necessitatur ex hypothesi creature rationalis, ut dictum est. Ad 4. R. In his casibus nullam fore dispensationem, sed impossibilitatem Legis adimplendæ, defectu cognitionis, vel virium.

Posset nunc videri supervacaneum inquirere, utrum aliqua potestas humana, puta Papalis, possit propriè dispensare in Lege naturali? Si enim non possit Deus, a fortiori homo. Et ita tenent etiam Scotistæ; quorum est hæc ratio, quòd nullus inferior possit dispensare in Lege superioris, nisi id ei sit specia-

cialiter concessum a superiore; quod neque Papa, neque ulli alteri concessum legimus quoad Legem naturalem. Atamen, quia sunt quedam difficultates enodandae circa dispensationes Papales, ne quid desit huic quaestioni.

Obj. 4. Votum & juramentum ligant Jure naturae. Matrimonium ratum est Jure naturae indissolubile. Pluralitas Beneficiorum est contra Jus naturae. Residentia Episcoporum est juris naturae; atqui in his omnibus Papa dispensat. Unde dixit Christus Petro: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis*: ergo. Insuper communitas bonorum & libertas sunt de Jure naturae; & tamen possessionum distinctio, & servitus Jure gentium sunt introductae: ergo. R. N. Min. intellectam de dispensatione proprie dicta. Ad 1. de voto & juramento, Papa non facit, quod vovens, seu jurans durante voto, aut juramento, sive eorum obligatione, non teneatur illa servare, quod esset dispensare proprie in Lege naturali; sed nomine Dei relaxat obligationem, & debitum ortum ex voto & juramento; seu remittit jus, quod Deus acquisiverat per votum & juramentum, quo remisso, cessat Lex obligare ad servandum botum, seu juramentum. Sicut v. gr. solvere debitum homini est de Lege naturae: si tamen creditor relaxet, seu remittat mihi debitum, non teneor amplius solvere, non quia ipse mecum dispensavit in Jure naturae, sed quia mutavit materiam obligationis, & fecit, quod id, quod erat debitum, non sit amplius debitum. Ita quod, sicut observavimus, hujusmodi dispensatio impropria cadit directe super materiam Legis, cum, si esset propria, deberet cadere directe supra ipsam Legem.

Ad 2. de matrimonio rato: Pontifices, qui dispensant in illo, secuti sunt sententiam probabilem illorum, qui volunt ejus indissolubilitatem non esse de Jure naturae, sed positivo tantum, vel illorum, qui censent esse quidem Jure naturae indissolubile privata contrahentium auctoritate, non publica, & delegata Papae a Christo. Caeterum plures alii Pontifices hanc potestatem sibi esse denegant agnoverunt.

Ad 3. R. cum Auctore, (*Quolib. 9. art. 15. o.*) quod habere plus Beneficia non sit de genere malorum, quae habent inseparabiliter annexam malitiam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quae nullo modo fieri possunt; sed est de genere actionum, quae absolute considerata deformitatem, & indecentiam quandam importat, quae tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonae efficiuntur: sicut percutere hominem in se deformitatem quandam importat; sed si addatur, percutere delinquentem causa disciplinae, non erit peccatum. Igitur pluralitas Beneficiorum absolute considerata est contra Jus naturae, sed considerata cum circumstantiis, v. gr. necessitatis, seu majoris utilitatis Ecclesiae, abstergentibus ejus inordinationem aequalem, non est contra Jus naturae. Haec affinia sunt illi, quae dixi supra de matrimonio inter fratres & sorores, & de polygamia. Confer etiam, quae dixi de Just. Dissert. 9. art. 5.

Ad 4. de residentia Episcoporum; R. non esse de Jure naturae, nisi in casu, quo praesentia Pastoris sit absolute necessaria regi, & gravior Ecclesiae necessitas absentiam non exigit; in quo casu Papa non potest dispensare. Quantum ad delegationem generalem a Christo factam S. Petro, patet eam esse intelligendam intra terminos delegationis, cujus est capax

potestas humana, & quam esse Petro factam agnoscit Ecclesiae traditio: nisi velis, SS. Pontifices posse nos eximere a praeceptis charitatis & fidei, a cultu vere Religionis, & quodcumque scelus perpetrandi facultatem concedere, quod est plusquam absurdum.

Ad 5. de communitate bonorum & libertate; R. 2. (*Hic 9. 94. art. 5. ad 3.*) communitatem bonorum, & libertatem esse de Jure naturali donante & concedente, sed non prohibente contrarium. Dupliciter igitur aliquid dicitur de Jure naturali; uno modo, quia ad hoc praecipiendo inclinat ut necessario faciendum, vel vitandum, sicut non esse faciendam injuriam alteri. Alio modo, quia natura illud contulit, & non induxit contrarium, licet induci non prohibeat; sicut possumus dicere, quod hominem esse nudum sit de Jure naturali, quia natura non dedit ei vestimentum, sed ars advenit. Et hoc modo bonorum communitas, & libertas dicuntur esse de Jure naturali, quia scilicet distinctio possessionum, & servitus non sunt inductae a natura; non tamen prohibent, ubi expedirent. Et sic in hoc Lex naturae non est immutata nisi per additionem: imò nullo modo immutata; quod enim dicitur sic Jus naturale, non debet nominari proprie Lex naturalis, de cujus ratione est, quod sit praecipitiva, aut prohibitiva.

Petes, utrum interpretatio, & epikia habeant locum in Lege naturali? Interpretatio generaliter sumpta est Legis explicatio, qua declaratur illam in tali, vel tali casu obligare, vel non obligare; ad quod non requiritur auctoritas, sed prudentia & scientia. Est duplex interpretatio, una verbalis, & quae dicitur simpliciter interpretatio, & est explicatio verborum Legis conformiter ad mentem, quam habuit actu Legislator, quando Legem tulit. Altera est per epikiam, & est explicatio intentionis habitualis Legislatoris contra verba Legis, seu intentionis, non quam actu habuit Legislator, quando Legem tulit, sed quam habuisset, si ad hunc casum particularem attendisset. Unde epikia definitur ab Aristot. 5. Ethic. c. 10. *Legis emendatio, ubi deficit propter universalis*. Cum enim Legislator non possit omnes, & singulos casus praevidere, potest contingere, quod in aliquo Lex erret, & sit contraria bono communi; & tunc adhibetur epikia, seu declaratio praesumpta intentionis Legislatoris contra verba Legis. His praemissis,

R. ad petitionem, interpretationem simpliciter dictam, seu verbalem habere locum in Lege naturali, non epikiam. Ratio 1. partis est; quia non omnia Legis naturae praeccepta sunt aequè nota, nec aequè intellecta facilia: ergo quaedam ex illis indigent aliqua explanatione, ut verus eorum sensus habeatur. Sic v. gr. Lex naturalis, quae dicitur depositum esse reddendum, indiget aliqua explanatione; non urget enim, ubi repetitur in damnum alicujus. Ratio 2. partis est; quia Lex naturalis non praecipit, aut prohibet tantum in generali, sed ad singulos casus descendit: nullus enim potest subterfugere cognitionem Dei sui Auctoris. Excipit ergo, quae sunt excipienda; non praecipit, nisi quae sunt praecipienda; nec prohibet, nisi quae sunt prohibenda etiam in particulari; unde deficere non potest propter universalem, siquae non eget emendari. Confirmatur: Non est adhibenda epikia, ubi Legislator praesens potest consuli; atqui ubique & semper adest Legislatrix ratio: ergo.

hujus definitionis, excepta secunda, patent ex definitione legis in communi. Dicitur itaque *Legi naturali convenientis*: (*Hic 9. 95. art. 2. o.*) quia omnis lex humana derivatur a lege naturali, non quidem ut conclusio necessaria, seu ut habens cum principiis legis naturalis necessariam connexionem, alioquin pertineret ad ipsam legem naturalem, sed ut conveniret, & probabiliter ex illis deducta, & ut illorum determinativa.

Explicatur: (*Ibid.*) Dupliciter aliquid potest derivari a Lege naturae; uno modo ut conclusio ex principiis modo syllogistico, ut fit in scientiis; alio modo sicut determinatio quaedam aliorum communium, ut fit in artibus, in quibus formae communes determinantur ad aliquid speciale; sicut cum artifex formam communem domus ad hanc, vel illam domus figuram determinat. Quae derivantur ex Lege naturali primo modo, sic pertinent ad Legem humanam, ut etiam pertinent

ad Legem naturae. Quae autem secundo modo, pertinent ad solam Legem humanam; sic, v. gr. quando ex hoc principio naturali, *malum non est faciendum*, subsumo; atqui furari est malum; & ex hoc utroque principio naturali infero modo syllogistico: ergo non est furandum; haec conclusio, necessario deducta ex duobus praemissis naturalibus, non solum est Legis positiva, sed etiam naturalis. At si ex hoc principio naturali: *Fures sunt puniendi*, Legislator humanus inferat: *ergo sunt suspendendi*; ista conclusio non sequitur necessario exposito principio, neque est aliud principium naturale subsumendum, ex quo necessario sequatur, ut in precedenti; sed Lex naturalis de puniendis furibus in communi per judicium humanum determinatur ad suspendendum, tanquam ad poenam criminis congruam, hoc modo: *Fures sunt puniendi; atqui puniendi congrua furibus est suspensio: ergo haec poena sunt puniendi*. Ubi vides, subsumptum non esse aliquid principium Legis naturalis, ut in primo, sed judicium humanum prudens & rationi consentaneum; & ideo haec conclusio pertinet ad solam Legem humanam. Hoc ergo sensu duntaxat dicitur Legem humanam derivari a Lege naturali; & ideo dixi, *Legi naturali convenientis*.

§. II. De necessitate Legum humanarum.

Dico: Leges humanae sunt necessariae, non quidem simpliciter & absolute, sed sic, ut, attenta hominum perversitate, corruptione, & pronitate in malum, sine legibus humanis nec multitudo virtutem, nec Respublica pacem habere & conservare posset. (*Ibid. art. 1. o.*)

Prob. 1. (*Ibid.*) Plures invenimus homines protervi & ad vitia proni, qui verbis de facili moveri non possunt, consequenter necessarium fuit, quod per vim, vel metum cohiberentur a malo, ut saltem sic male facere desisterent, & alii quietam vitam redderent, & ipsi tandem per hujusmodi assuetudinem ad hoc perducerentur, quod voluntarie facerent, quae prius metu implebant, & sic fierent virtuosus; atqui haec praestant leges humanae: unde Isidorus l. 5. Etyim. c. 20. *Facta sunt, inquit, Leges, ut earum metu humans coerceseret audacia, tutaque sit inter improbos innocentia; & in ipsis improbis formidato supplicio refranetur nocendi libertas*: ergo.

Neque dicas, ad haec sufficere legem naturalem & divinam. Nam 1. Lex naturalis nullam poenam determinate decernit; lex divina non nisi longe distantes & invisibiles praescribit, quibus ideo non moventur, & quas continentur improbi, ita ut subditis legibus humanis, homicidia, furta, sacrilegia, raptus, adulteria, violentiae, & omnia scelera grassarentur in totalem Republicae perniciem & eversionem, juxta illud Aug. *Remota justitia, quid sunt Regna, nisi magna latrocinia*. Insuper lex naturalis in pluribus ignoratur, multa in communi praescribit indeterminata quoad modum, tempus, & locum, non omnia ad sui observantiam utilis in particulari praecipit: quibus omnibus occurrunt leges humanae, praescribendo quaedam legis naturalis, quae ignorabatur, determinando modum, tempus, locum ejus obligationis, & plura utilis ad ejus observantiam praecipiendo.

Neque (*Ibid. ad 2.*) etiam dicas, ad haec omnia sufficere arbitria Judicum: quia juxta Philos. 1. Rhet. c. 1. melius est omnia ordinari lege, quam dimittere Judicum arbitrio: & hoc propter tria. Quia facilius est invenire paucos sapientes, qui sufficient ad leges rectas ponendas, quam multos, qui requirentur ad recte judicandum de singulis. 2. Quia illi, qui leges ponunt, ex multo tempore considerant, quid lege ferendum sit; sed judicia de singularibus factis fiunt ex casibus subito exortis. Facilius autem ex multis consideratis potest homo videre quid rectum sit, quam solum ex aliquo uno facto. 3. Quia Legislatores judicant in generali & de futuris, sed homines iudicis praesidentes judicant in particulari de praesentibus, ad quae saepe afficiuntur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate, & sic eorum depravat judicium. Quia ergo justitia animata Judicis non invenitur in multis, & quia flexibilis est, ideo necessarium fuit in quibuscumque est possibile, legem determinare quid judicandum sit, & paucissima hominum arbitrio committere.

§. III. De Qualitatibus Legis humanae.

Dico: (*Ibid. art. 3. o.*) Isidorus l. 5. Etyim. c. 21. convenienter describit qualitates legis humanae dicens: *Erunt lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem Patriae, loco temporisque convenientis, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium scripta*. Et hoc recipitur in Jure canon. d. 4. c. 2.

Prob. (*Ibid.*) Lex debet esse proportionata utilitati hominum ut fini suo; & cum sit regula & mensura actuum humanorum

regulata & mensurata per legem naturalem & divinam, debet etiam esse utriusque proportionata; atqui hanc triplicem proportionem habet per qualitates assignatas, ut constat ex earum explanatione: ergo.

Itaque dicitur *honesta* (*Ibid.*) id est, congrua Religioni; nihil enim debet, praescribere, aut prohibere, quod cultui divino repugnet, sed quod sit illi consentaneum. Dicitur *justa*, id est, rationi conformis. *Possibilis secundum naturam*, id est, proportionata viribus subditorum, ita ut non eadem imponatur pueris & viris perfectis, nec nimis ardua & difficilia praecipiat, nisi forte ita exigat urgens necessitas boni communi; quia, regulariter loquendo, leges nimis difficiles, aut nimis multiplicatae; plus nocent multitudini, quam prosint, cum paucissimi ob rei difficultatem & humanam fragilitatem eas observent; & ideo 2. 2. q. 105. art. 1. ad 3. docet Auctor, Praelatos debere abstinere a multitudine praecceptorum. Dicitur, *possibilis secundum consuetudinem Patriae*; quia non potest homo solus in societate vivere, aliorum morem non gerens; unde Puerpera tempore purificationis secundum morem Patriae non tenetur lege audiendi Sacrum. Dicitur, *loco, temporisque convenientis*; quia sicut omnes alii actus humani, lex debet vestiri omnibus suis circumstantiis. Dicitur, *necessaria*, ad remotionem malorum; *Utilis*, ad consecutionem bonorum; *Manifesta*, id est, distincte & clare concepta, ut possit ab omnibus intelligi, ne alioquin per obscuritatem sit ipsis laqueus. Dicitur, *pro communi utilitate*; quia commune bonum est finis legis, ut dicitur est supra. Dicitur *Scripta*; quia, ut firmis memoria teneatur, scribi solet, quamvis id non sit absolute necessarium.

§. IV. De Variis Legum humanarum divisionibus.

Auctor (*Ibid. art. 4. o.*) ex Isidoro varias refert Legis divisiones secundum diversas ejus considerationes. Considerata enim secundum suam originem a lege naturali dividitur in Jus gentium & Jus civile. Considerata per ordinem ad bonum commune dividitur in Jus militare, Jus Sacerdotum, & Jus Principum. Considerata ratione sui Auctoris dividitur secundum diversa regimina in constitutiones Principum, Senatūs Consulta, Jus praetorium, Plebiscita, & in legem, quam majores simul cum plebe sancunt. Considerata, quatenus est directiva actuum humanorum, in tot leges dividitur, quot sunt diversae materiae, de quibus feruntur, ut de adulteris, de sceleris, &c. Quantum ad has omnes divisiones videtur potest Auctor cum Commentario Sylvii. Divisio autem communis & vulgata Legis humanae est in Civilem & Ecclesiasticam. Leges civiles perquamque continentur in corpore Juris Civilis. Leges Ecclesiasticae in corpore Juris Canonici. Circa utrumque nonnulla sunt hic explicanda, praesertim in gratiam Tyrannum. Unde

Petes 1. Quid intelligatur per Corpus Juris, sive Canonici, sive Civilis? R. Jus Canonicum, prout in Scholis traditur, consistit quinque partibus, scilicet Decreto, Decretalibus, Sexto Decretalium, Clementinis, & Extravagantibus Joannis XXII. & quorundam aliorum Pontificum. Decretum, a Gratiano Monacho Benedictino collectum, tribus partibus componitur. Prima continet 101. distinctiones. Secunda 36. causas: quilibet causa in questionibus, & quilibet questio in capitulis tribuitur. Questioni tertiae causae trigesimae tertiae insertus est Tractatus de Penitentia. Tertia pars continet 7. distinctiones de Consecratione.

Decretales, a S. Raymundo de Pennafort Ordinis Praedicatorum jussu Gregorii IX. collectae, in 5. libros distribuuntur, libri in diversa capita. Dicuntur Decretales, quia continent decreta, constitutiones, epistolas, & responsa SS. Pontificum. Sextus Decretalium sic dictus, quia quinque prioribus adjectus est a Bonifacio VIII. pariter 5. libros complectitur in varia capita distributos.

Clementinae sunt constitutiones a Clemente V. vel a Concilio Viennensi, cui praefuit, editae, & quas publici Juris fecit Joannes XXII. ejus successor. Extravagantes sic dictae, quia extra corpus Juris, antequam ei insererentur, quasi vagabantur; quaedam sunt & dicuntur Joannis XXII. aliae aliorum Pontificum dicuntur communes.

Corpus Juris civilis constat Digestis, Codice, Institutionibus, & Novellis, seu Authenticis. Digesta alio nomine dicuntur *Pandecta*, quasi diceret totum capio, quia universam Juris scientiam 50. libris complectuntur. Codex dicitur *Repetita lectio*, quia Justinianus post primam Editionem alteram accuratorem curavit, coalescit 12. libris in varios titulos distributis. Institutiones continent elementa Juris, in gratiam incipientium. Constant. 4. libris. Novella, seu Authenticae sunt constitutiones ipsius Justiniani Imperatoris, & aliorum aliorum Imperatorum.